

05

A

735





THEOLOGICA
EXERCITATIO

DE

U N I O N E

SPIRITUALI CHRISTI
ET FIDELIUM

Quam

DEO DUCE.

Sub Præsidio

Viri admodum Reverendi Amplissimi & Excellentissimi

DN. JOHANNIS MEISNERI,

S.S.Theol. D.&P.P. celeberrimi, Elect. Alum: Epho-

ri vigilantissimi, Præceptoris, Promoto-

ris & Fautoris sui suspiciendi.

In Auditorio majori ad d. 20. Decembr.

publicè examinandam

proponit

JOSUA Krüger/ Stetinensis.

WITTEBERGÆ.

Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.

ANNO M DC LI.

Le Balduin

*Amplissimis
Excellentissimis, Consultissimis,
Prudentissimis*

INCLUTÆ REIPUBLICÆ STETINENSIS

PATRIBUS CONSCRIPTIS

DNN. CONSULIBUS

DN. SYNDICO

DNN. CAMERARIIS

Cæterisq;

SENATORII ORDINIS

VIRIS


Judicii dexteritate, Autoritatis eminentiâ, Virtute,
Eruditione rerumq; Experienciâ
clarissimis, spectatissimis.



*Dnn. Patronis magnis, & Promotoribus suspicien-
dis debitâ animi reverentia hoc studiorum suo-
rum Theologicum γύμνασιον
offert & dicat*

05 A 735

Autor Respondens.


Riplicem in Christo Mediatore invenire licet unionem: Essentialem, personalem, & Spiritualem. Istam, quæ juxta illud Joh. X. 30. Ego & Pater unum sumus, in numerica simplicissima essentia identitate consistit, Theologi unitatem rectius quam unionem salutant, cum inter ea, quorum essentia una est, nulla detur unio, quæ necessario requirit, ut unienda nature diversitate inter se differant; Reliquæ unionis titulum jure sibi vendicant, cum συνδεδυασμένα tam ante actum, quam in ipso statu unionis sint maneantque substantiæ disparatæ; quorum altera analogicè sive per modum ἐντελεχείας, altera per modum δυνάμεως se habet. Per istam Filius DEI est unicè cum Patre & Spiritu Sancto unus & idem Deus: Per illam una persona συνθετος: Per hanc unum perfectum mysticum corpus, cujus caput ipse secundum utramque naturam, membra verò corporis mystici fideles constituunt; caput siquidem & membra unum est corpus I. Cor. XII, 12. 27. & hac ratione Eph. I. 22. & ult. fideles πληρωμα complementum Christi dicuntur; non quod sine corpore mystico non sit integer Christus, sed quod nobiscum integer esse dignatus fuerit. Quomodo autem corpus ejus nos, si non & nobiscum unus est Christus? inquit Hannibal Rosseli in Trismeg. Pymand. lib. IV. Comm. VIII. quæst. I. cap. 3. Singula tam admiranda sunt mysteria, ut humani ingenii acumine investigari nequeant, sed in totum pendeant à supernaturali revelatione: De ista quidem sonant expressa Salvatoris verba Matth. XVI. 17. & C. XI. 27. Illam esse μονόθετον καὶ ἐξάρετον ὑπὲρ φύσιν ὑπὲρ νόον καὶ ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν I. Tim. III. ult. vers. evidenter constat:

stat: nec minus hanc omnem rationis captum longè transcen-
dere vel solum magni mysterii nomen Eph. V. 30. evincit. Sin-
gula clarè & perspicuè in scripturis traduntur: Ista Joh. X. 30.
C. XVI. 15. I. Epist. Joh. V. 7. illa Joh. I. 14. Hebr. II. 14. 16. Coloss.
II. 9. hæc Joh. VI. 56. C. XIV. 23. XV. 4. XVII. 23. Rom. VIII. 10.
I. Cor. VI. 15. 16. 17. Eph. III. 17. & passim alibi. Priores duæ non
possunt ignorari citra salutis jacturam; posterior mediocrem
adhibenti diligentiam obviam est vel esse debet, nisi fortè re-
probus è II. Corinth. XIII. 5. audire malit: Nam velut ista
ab ipso Christo è communionem operum divinorum Joh. V. 17. 19.
C. X. 38. C. XIV. 10. & II. illa ab unitate ἀποτελεσμάτων infer-
tur; sic hanc prædunt fructus Joh. XIV. 4. 5. ambulatio in luce
I. Joh. I. 7. Caritas I. Joh. IV. 16. Singula semper sunt passæ
contradictionem: Ista nunc & olim à Judæis, Ebionitis, Arria-
nis, Photinianis, Mahomedanis & cæteris Antitrinitariis; Illa
à Samosatensianis, Nestorianis, & plerisque Calvinianis impu-
gnatur; hæc à Scholasticis, Calvinianis; Weigelianis & fa-
naticis pervertitur; quorum illi circa definitionem hujus my-
stica unionis deficiendo, hi autem excedendo peccant. De hac
igitur brevem συζήτησιν juvante Deo instituere placuit, quod ut
ordine & distinctè fiat, exordiemur ab ὀνομασολογία, quam ex-
cipiet πραγματολογία interspersa ἀντιλογίας refutatione. Pro
feliciori successu has ex Hilario ad finem lib. I. de Trinit.
fundimus preces. Expectamus clementissime Deus, ut tre-
pidi hujus cœpti exordia incites, & profectu accrescente
confirmes, & ad consortium Prophetalis Apostoliciq;
spiritus deducas, ut eorum dicta, non alio quam ipsi lo-
cuti sunt sensu, apprehendamus, verborumq; proprie-
tates iisdem rerum significationibus exequa-
mur.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

Exhibens ὀνομασλογία.

I. Vocabulum *Unionis* est generale significans conjunctionem duarum vel plurium rerum, ut ex illis quodam modo unum constituatur. Quot modis autem unio fiat, videre licet, præter Metaphysicorum scholam apud *Damasc. lib. III. de Orthod. fid. c. 3. Chemnit. L. de duab. Nat. in Christ. c. VII. Gerbard. Exegef. Loc. IV. C. VII. §. 116. seqq.*

II. Ipsa appellatio *unionis spiritualis* emerfit præprimis è *I. Corinth. VI. 17.* ubi fidelis *unus cum Domino Spiritus dicitur* Plura ἐμφαικώτατα dicta unde, nomen unionis ortum trahat, citavit *Dn. D. Brockmand. Syst. Art. XXVII. sect. I.* quorum quædam magis de *spirituali Unione* quæ fidelibus mutuò intercedit, quam de eâ, quæ nostræ subjacet disquisitioni, loquuntur.

III. Quoties autem pro conjunctione fidelium inter se sumitur, non *veram & propriam unionem, sed moralem* denotat convenientiam & habitudinem, quæ innititur unitati fidei, doctrinæ, Sacramentorum, Spiritus, reliquorumq; Ecclesiæ bonorum commanum, sortitur etiam alibi in scripturis appellationis fundamentum. *I. Cor. X. 17. XII. 13. Eph. IV. 3. 4. Act. IV. 32.* & sic *Cyrillus Alex. lib. XI. C. XXVI. in Joh.* Spiritualem vocat unionem, quâ *Spiritu Sancto recepto inter nos quodammodo unimur.* Sed cum unio, quâ quædam uni tertio conjuncta unum dicuntur, non requirat substantialem extremorum propinquitatem, minimè nostro quadrat instituto.

IV. Pro diversitate considerandi diversas *hec unio spiritualis* suscipit denominationes; *Tria* verò potissimum in eâ veniunt attendenda 1. *duo extrema* quæ materiæ vicem sustinent, & commodè *objectum* dicuntur; 2. *Modus* uniendi; 3. *Terminus* ex actuali unibilium extremorum conjunctione resultans: ad horum unum revocari potest, quicquid sit, quod eam denominat.

V. *Objectum* respiciunt *Cyrillus & Hilarius* quando hanc unionem naturalem & corporalem nominant, ait *Hoffman. Offic. Theol. L. XXVII. th. 17. & Chemnit. lib. de fund. Cænae C. X. sect. 6.* vocabula *naturaliter, Corporaliter* à Veteribus usurpata non de

modo sed de natura s. substantia Corporis Christi intelligenda esse, & huc spectat orthodoxa *anglicana famigeratissimi Theologi D. Hulsemanni* quando tutius existimat eam vocari *Unionem Substantiarum DEI & hominis fidelis*, monetq; ab usu adjectivi *substantialis* & adverbii *substantialiter* abstinendum esse, cum intellectus non ferè aliter ea concipiat quam cum determinatione modi, siquidem ab orthodoxis non *modaliter* sed *objectivè* accipiantur. *Brev. extens. c. XIV. Suppl. S. I. ὁμολογος est. D. Job. Tob. Major in Exegem. Apost. Act. pag. 398.*

VI. Reformati ut Substantiarum Christi & fidelis arctissimam proximitatem negant, ita appellationem *substantialis unionis* admittunt, nec inscriptis publicis adhibere dubitant. *Chamier Panstr. Tom. IV. lib. XI. de Euchar. cap. 8. Polanus Syntag. p. 1458. lit. C. & D. Gothofr. Hotton. de Concord. Evang. sect. III. cap. 4. & 5.* quippe vident appellationem Substantialis, si Objectum, *precisa* substantiali terminorum adinvicem *adessentia*, determinat, parum suæ causæ obesse, cum quælibet coacervatio lignorum, mixtio pulveris & quod maximum est, ipsa *unio moralis*, quæ non extremorum præsentiam requirit, *substantialis* dici queat; nec si hac ratione nos hanc Christi & fidelium unionem cum *Damasc. προσωνυμὴν s. personarum* nuncupemus, putamus quenquam ex orthodoxis nobis refragari; quemadmodum enim personalis unio respectu *termini à quo piè naturarum unio* dicitur; quid obstet, cur non eodem respectu hanc *personarum* nominemus, nobis cernere non licet.

VII. Sat dextrè tamen hæc unio *Substantiarum* dicitur iis, qui stant à Lutheri partibus, adversus eos, qui *omnem rationem* divinæ in habitationis in *mera activitate* vel operatione collocant, sequestratâ inde divinæ substantiæ præsentia, quam utiq; ob infinitatem, ut universalem præsupponunt, sed tamen ab altero extremo hujus unionis remonent; dum *Deum non nisi per dona in credentibus habitare* asserunt: de quibus infra ubi de extremis ex professo acturi sumus.

VIII. *Modum uniendi* attendentes linguam scripturæ indoli & ab Ecclesia receptæ loquendi formulæ attemperando *Spiritualement* vocamus hanc *unionem*; mysticus enim, divinus & super-

per-

pernaturalis, non substantialis, localis, corporeus aut carnalis est, & ob id è solo DEI verbo intelligi & dijudicari meretur. *D. Hulsem. Brev. Ext. c. XIV. §. III.* remotis heterodoxorum modis tandem dicit *causam formalem hujus unionis consistere in unione κατὰ συνδυασιν copulationem substantiarum & affectionum.* Damasc. vocat eam *ένωσιν κατὰ μετρήν ἢ χάριν* B. Meisn. P. I. Philos. *Sobr. Sect. I. C. 2. q. 2. cap. sect. IV. cap. 2. q. 2. & Dn. D. Calovius. metaph. divin. p. 289.* appellant eam *παρασάλην*: ast hic addit cautelam: *Observes unionem mysticam non nisi κατ' ἀναλογίαν dici παρασάλην, removendo sc. omnes imperfectiones & concipiendo eminentiā.*

IX. Si quis eam non à modo solùm, verum etiam à causa efficiente principali spiritu sancto, vel ab organica quæ est verbum Evangelii, & fide ut medio homini intrinseco quod est merè spirituale, ut & ab effectu quod hominem spiritualem reddat Rom. VIII. 9. spiritualement vitam Gal. II. 20. ipsumq; spiritum sanctum conferat B. Gerbard. p. III. Harm. Evang. contin. c. 176. pag. 550. Spiritualement denominari velit, nos non habebit difficiles, modo non neget primariò sic dici ob modum, quo contradistinguatur communioni merè Sacramentali.

X. Terminum spectant potissimum Metaphysici, & unionem quamlibet ab eo maximam partem denominant; ita conjunctionem ferri & ignis vocant unionem *suppositalem* ab unitate suppositi, qua ut in termino utriq; extremorum communi ad unum conveniunt; sic formæ & materiæ, animæ & corpori *essentialem substantialem & naturalem* intercedere unionem dicunt, quia tertia quædam substantia, essentia sive natura completa inde resultat; sic *personalis* unio dicitur *ὑπόστατικὴ* à termino suo *ὑπόστασει* quæ utramq; naturam in Christo in unum *ὑφιστάμενον* coalescere facit; sic *moralis* dicitur unio, ubi morum conformitas eam terminat. Cum itaq; in hac unione spirituali ambo extrema sint substantiæ ultimò completæ in ratione existēdi, & ob id *essentialiter ad unum per se* constituendū concurrere nequeant; ad unum per accidens s. accider: ea coire necesse est.

XI. Ob terminum igitur *Accidentalem* dicimus hanc unionem, quam appellationem Scriptura insinuare videtur, dum utitur simili-

similitudine insertionis, implantationis, inhabitationis, quæ à metaphysicis ad accidentalem referuntur. Videatur Dn. D. Scharfius Theologicae Facultatis Senior & p. r. Decanus in *Metaph. lib. II. c. I. pag. 40.* D. Hulsemanno vocatur accidentalis à causis: *Breviar. extens. suppl. c. XIV. § I.* Neq; enim homini *per se* competit, ut uniatur cum substantia DEI, aliàs omni homini competere, sed *per accidens*. Notetur ergo, quod ex nomenclaturâ Philosophorum præter hanc genericam & remotam, nullam aliã *adequatam* denominationem, quæ rem aut rei modum *proximè* definiat huic unioni quis facile tribuere possit.

XII. Præterea dicimus eam *Propriam*, quia extremis non mutua *χέσις* & habitudo tantum intercedit, sed unita sibi invicè realiter sunt præsentia, & quidem cum communicatione, qua illud, quod nobilius, ignobiliori communicat realiter. Quamobrem D. D. Calovius cum hanc pag. 287 *metaph. div.* non quidè *rhetorico*, sed *metaphysico* sensu *impropriam* dixisset unionem, eandem *seq. p. 289. quam proximè accedere ad unionem in rigore metaphysico propriè dictam* fatetur.

XIII. Egregia deniq; hæc unio mystica sortitur nomina, quæ ejusdem proprietatem planam reddunt *Job. VI. 56.* dicitur mansio Christi in nobis & nostri in Christo *C. XIV. 20. Rom VIII. 10. II. Cor. XIII. 5.* Inessentia Christi in nobis *Job. XIV. 23.* adventus & mansio Trinitatis apud nos. *I. Cor. VI. 17. κόλλησις* *conglutinatio* cum Domino *I. Job. I. 6. 7.* Communio cum Deo Patre & Filio Jesu Christo *Hebr. III. 14. μετ᾽ αὐτὸν* *participatio* Christi. *Eph. III. 17.* Inhabitatio ejusdem in cordibus nostris *Matth. XVIII. 20.* Præsentia in medio nostri: conferantur loca *V. T. Levit. XXVI. 11. 12.* cum *II. Cor. VI. 16. Esa. LVI. 15.* cum *Eph. III. 17. Ose. II. 19. & 20.* cum *Eph. V. 24. 25.* præcipuè similitudines de *vite & palmitibus, capite & corpore, lapide angulari & lapidibus vivis, de templo & inhabitante*, quæ omnia licet non *κατὰ πάντα* congruant, *substantialem* tamen terminorum *propinquitatem* & consequenter *unionem propriam* evincunt. Sicut similitudines de *cerâ liquefactâ* alteri liquefactæ mixta quam *Cyroll. Alex. lib. X. c. 13. in Job. & massâ* quam *Chrysostr. ad Antioch. hom. 60. & 61.* usurpant, non modum communionis sacramentalis, sed arctissimâ *substantialem*

substantiarum conjunctionem ostendere scribit Chemnit. lib. de
fund. Cæn. C. X. sect. VI.

CAPUT SECUNDUM

Σίστην πραγµατολογία & ἐπεροδοξίας ἐπίσκεψιν.

I. Ad syntheticam ipsius Unionis spiritualis tractationem accedentibus primum investigandum erit *genus*. Gerhard. p. iii. Harm. Evang. cont pag. mibi 546. *mysterium* loco generis ex Eph. V. 30. substituit; sed cum ibi magis connexionem textus Johanne nitici, quam adæquatum genus ostendere intendat, vox *mysterii*, genus, quod proximè communem definiti conceptum præbere debet, exhibere nequit; admittimus tamen initio πραγµατολογία, ut monitum, ne uti in reliquorum, sic maximè in hujus magni *mysterii* explicatione extra normam verbi divini, & quam sibi in eo hoc *mysterium* propriam vendicat sedem, divagemus, nec ei, cujus natura est naturam & rationis captum transcendere, ductis è naturâ hujus seculi argumentis contradicamus; sed simplici fide in revelatione acquiescentes, quam hausimus in hac militiâ cognitionem, imperfectam & uti in speculo reflexivam arbitremur; In illo die Job. XIV. 20. perfectè demum cognoscemus: ad quem locum sic August. tract. 75. in Job. Tunc erit, ut possimus videre quod credimus, tunc etiam cognoscemus, quamvis & nunc credendo noverimus; sed tunc contemplando noscemus, &c. in illo ergo die, quando vivemus, eâ vitâ, qua mors absorbebitur, cognoscemus, quia ipse in Patre & nos in ipso, & ipse in nobis, quia tunc perficietur hoc ipsum quod & nunc inchoatum est jam per ipsum, ut sit in nobis & nos in ipso.

II. Balduinus in disp. III. de pane vite, quam inscripsit de Communionem nostri cum Christo §. IX. Unionem hanc definit per Conjunctionem, quam vocem & nos retinebimus ad exprimendum genus, usq; dum commodior ab aliis monstretur; nam per hujus synonymon Græci, Suidas & Phavorinus, olim describere ἐνωσιν quando eam συνδρομήν dixere; deinde conjunctio ipsum unionis conceptum magnam partem sistit; quæ enim conjuncta non sunt, separata & disjuncta sint oportet, nec realiter unita, nisi cum manifesta implicatione, dici queunt. D. Calovius metaph. div. p. 291. B. Meisn. i. P. Philos. Sobr. §. 4. c. 2. q. 2.

B

III. Effici-

III. *Efficiens principalis* est Sacrosancta Trinitatis Job. XIV. 23. supra cap 1. §. IX. Spiritum Sanctum unionis nostræ cū Deo κῦριον αἰπιον quidem diximus, quia ipsi ut totum sanctificationis opus, ita & hæc actio gratiosa ratione *ordinis & modi* quem in agendo servat, in scripturis *appropriatur*; quandoquidem Pater & Filius mittunt Spiritum S. ut hæc persona ratione officii sit mediorum gubernatrix suâ quadam proprietate, quam *differentiam ad extra* communiter vocant, servatâ tamen communionem unitatis divinæ essentiæ, itaq; & actionis; hujus enim unitas dependet ab illâ, veluti *uno & communi principio agendi*, quo quælibet persona agit, *totaliter*, non partialiter aut sociè.

IV. Neq; πολυθεύλητον, *Agere est suppositi*, obstat, quo minus hæc actio singulis personis *totaliter* competere dicatur; notum enim est in schola philosophorum, actionem *magis adæquatè & immediatius* intueri *principium* agendi quam *agentem* seu *suppositum*; adeoq; unam numero actionem requirere unū numero principium, non unum numero suppositum. *Æquum & piū* tamen est, ut ordinem, quo quælibet persona agat in Trinitate, observemus: Sic autem b. m. Balduinus in d. disp. §. XIII. eum consignavit: *Quemadmodum Pater per Filium, Filius per carnem suam & Spiritus Sanctus à Patre & Filio per eandem carnem unigeniti missus, nobiscum agit: Ita quoq; Pater per Filium, Filius per carnem suam, & Spiritus Sanctus à Patre & Filio per carnem filii in corda fidelium missus se nobis communicat, in nobis regnat, vivit & mansionem facit.*

V. *Impulsiva προηγμένη* est specialis DEI reconciliati dilectio, quâ iustificatos dignatur & amplectitur: quamobrè hæc ipsi adventui Trinitatis J. b. XIV. 21. & 23. præmittitur.

VI. *Meritoria & προκαταβληκή* est obedientia θεανθρώπου; Per Christum etenim ἀνακεφαλαίωσις τῶν πάντων facta est Eph 1. 10. c. 11. 13 Per Jesum Christū qui quondam eratis longinqui, propinqui facti estis in sanguine ejus Cyrill. l. XI c. 27, in Job explicans verba; *Ego in ipsis & tu in me*: inquit. *Nexus unionis nostræ ad Deum Christus est, nobis quidem ut homo, Deo autem Patri ut Deus naturaliter unitus. Consummati ergo sumus reductiq; ad unionem DEI Patris mediatione Salvatoris: Filium enim DEI naturâ Patri unitum*
corpo

corporaliter, substantialiterq; accipientes glorificamur suprema facti
natura participes.

VII. Organica ex parte DEI est Verbum, non substantiale,
uti Schwenkfeld deliravit; non internum & naturale quod Weis
gelius somniat, videatur *Thummii Impiet. Weig. err. VIII.* sed vo-
cale & ore egressum *Deut. VIII. 3.* & hoc non quatenus est com-
mune & generale fidei historicae objectum, & legem ut alteram
integrantem partem includit, *Gal. III. 2. & 5.* imo omnia histo-
rica ob revelantis veritatem credenda exhibet, quam late fidei
salvificae objectum patere falso existimat *Bellarmin. Tom. III. lib. 1.
de justif. cap. IV. & VIII.* Sed quatenus est proprium speciale &
primarium justificantis fidei objectum, hoc est, quatenus promissio-
nes evangelicas de gratia per Christum consequenda fidei
intuendas, apprehendendas, amplectendas & applicandas of-
fert & confert.

VIII. Cum vero hoc sit de formalivatione Evangelii specificè
sic dicti, ideoq; uti *Salvationis Iacob 1. 21.* ita hujus mysticae uni-
onis instrumentalem agnoscimus causam, quæ non tantum obje-
ctivè Christum ejusq; meritum fidem & reliqua unionis requi-
sita monstrando & manifestando, sed potissimum eff. tivè ipsam
unionem cum DEO conferendo, producendo; Christum tum
quoad substantiam quam quoad gratiosam operationem exhi-
bendo concurrat. *Job. XIV. Ad eum, inquit servator, qui sermo-
nem meum servabit, ego & Pater veniemus & mansorem faciemus
apud eum; C. XV 7. Si manseritis in me & verba mea in vobis man-
serint, in h. l. sic commentatur Gerbard. part. III. Harm. Evang.
cont. p 783. Hæc duo; si manseritis in me, & si verba mea in vobis
manserint, ideo conjunguntur, non quasi ab invicem separari
possint, sed primò ut ostendatur esse invicem arctissimè con-
nexa ac sese mutuò consequentia; Secundò ut modus doceatur,
quo Christus in nobis velit manere, videlicet per verbum Evan-
gelii fide receptum, & seq. pag. Tunc manent in nobis Christi
verba, quando nos in sermone Christi manemus sancta fidei
obedientia.*

IX. Quod autem per sermonem meum *Job. XIV 23.* ver-
bum evangelii propriè dicti ab ipso filio è sinu patris prolatum,

adeoq; non solum doctrinae humanae, verum etiam mosaicae Job. I. 17. oppositum intelligatur, patet ex Job. cap. V. 24. & VIII. 37. & si. c. XVII. 6. videatur Gerb. Harm. p. III. pag. 589 & seqq. ubi prolixè probatur per τὸν λόγον χειρῶν primario intelligi Evangelii doctrinam.

X. Habet autem *Evangelium ex pacto*, instituto & placito divino hanc suam virtutem unitivam, *participativè* seu *communicativè* sibi insitam, non *naturaliter*, sed *ratione principii supernaturalis*; *ceterum loquitur B. Mylius in A. Conf. art. XIII. p. 189* Elevatur enim & elevatur à spiritu sancto, ut sit medium, organon & instrumentum efficax, proponens, offerens, exhibens, distribuens & applicans meritum Christi & gratiam DEI ad salutem omni credenti *ait* nunquam sat laudatus *Chemnitius p. II. Exam. Trid. de Sacram. Can. VII.* Et hanc virtutem verbum DEI semper tum in lectione, tum in prædicatione imò & extra eandem obtinet, quamvis non semper ἐνεργημα unionis producere queat, impeditum à defectu correlativi sui, scil. debitæ auscultationis, meditationis & serij addiscendi studii, quæ requiruntur ex parte nostrâ, tanquã *conditio subjecti*, in quo verbum insitam suã divinam virtutem exercere valeat. Quomodo verbum & Deus, ut instrumentalis & principalis in operatione copulentur per ordinationem divinam, ut illa sine hac salutare quid efficere nequeat, nec hæc sine illa ordinariè agere velit. *vide in Exeg. B. Menzer. art. VIII. thes. 19. & D. Musæi Diss. V. de Convers. §. 45.*

XI. Facessat igitur impietas *Weigeli* qua in γινώσκεισθαι αὐτὸν p. 52. scribit: viel meinen die eusserliche predigt trage von aussen zu hinein den Heiligen Geist/ solches ist ein Irrsall/ wie will das außwendige wircken das inwendige/ Resp. Paulus Gal. III. 2. *Ex auditu fidei accepistis spiritum sanctum*, confer v. 5. exemplum extat *Act. X. v. 44.*

XII. Idem Emblemata olim *Oecolampadius* contra *Svevicum* Syngramma eructavit: *Ex verbis nil nisi verba, imo strepitus verborum habemus*; & quamvis discipuli commodius loquantur, & verbum efficax & vivum gratiæ organon aliquando dicant, habent tamen *νευσφύετα* de duplici ministerio externo & interno, & sic actionem DEI dividunt & separant, videatur *Beza in Resp.*

in Resp. Coll. Momp. p. 115. & 116 & Grineus in præfat. Theorem.
Theol. ad Joach. à Berga; honestandi gratiâ tribui verbo & sacramen-
tis effecta, quæ alioquin propria sint causæ efficientis, scrib. i: Sed hoc
honestare, quid aliud est, quàm dehonestare, & detrahare in-
trinsecam & spirituales virtutes verbo DEI?

XIII. Sacramentorum par est ratio causandi; nam fructus
& efficacia ministerii verbi, & baptismi & cœnæ sunt eadem re,
licet non modo rei nec gradu. Hoffman. off. Theol. L. XXVII. lb. 15.
& sic ob mediorum seu organorum & per ea offerendi modi di-
versitatem distinctam fieri nostri cum Christo communionem
testatur b. Balduin. disp. cit. § XVI.

XIV. De Baptismo res ex Paulo ad Gal. III. 27. liquet & ad
Eph. V. 26. inquit, nos per lavacrum in verbo, ita mundamur &
sanctificamur ut simus vers. 30. membra ejus caro de carne. & c.
Rom. VI. 5. dicimur *συνφυτοί*, insititi facti & cum eo in baptismo
plantati (Beza sic cum eo plantati coaluimus.) Hunc fructum Ba-
ptismus præstat in infantibus, tum *inchoative* tum *obsignative*;
quare non incommodè Trismegisti verba: Deum unà hîc habita-
re cum animis hominum mente carentibus; hîc ejusdem Commen-
tator lib. V. Comm. VII. refert. Ad templum DEI, inquit, perti-
nent parvuli sanctificati sacramento Christi & regenerati spiri-
tu sancto, qui nondum valent cognoscere Deum. Bellarm. lib. II.
de Sacram. Euchar. c. XXII. Unio membrorum cum capite, qua
efficimur unum corpus mysticum Christi propriè obtinetur per
baptismum. Pulcerrimum est Augustini dictum quod habet Be-
da in Comm. super cap. X. prior. ad Corinth. Nulli est aliquatenus
ambigendum, tunc unumquemq; fideiû corporis sanguinisq;
Domini participem fieri, quando in baptismo membrum
Christi efficitur, Conf. August. Epist. LVII. ad Dardan.

XV. Cœna Dominica hoc peculiare sibi vendicat, quod or-
dinetur ad illud opus incorporandi & propinquius & firmius
conglutinandi sanctos capiti suo Christo, ut sint *caro de carne*
ejus & os ex ossibus ejus, sicuti Paulus Eph. V. 30 ad Sacramentum
ἐκτρέφεται nutritionis accommodat: August. serm. 28. ad fratres
in Eremo. Hoc Sacramentum ideò nobis datum est, ut corpus Ecclesie
in terris cum capite quod in cœlis est coadunetur. Plura hujus argu-

menti dicta Antiquitatis qui legere allubet, consulat *Chemnit.*
l. d. duab. nat. c. XXXI. imprimis 47. & 8. Cyrilli testimonium item
Hilarii & Chrysostomi. Idem lib. de fund. Cœnæ. cap. IX. super I. Co-
rinth. X. explicat ordinem $\kappa\omicron\upsilon\omega\upsilon\lambda\alpha\varsigma$ his verbis: Per panem uni-
mur Corpori Christi, per corpus ipsi Christo, per Christum Patri; atq;
ita efficitur $\kappa\omicron\upsilon\omega\upsilon\lambda\alpha\varsigma$ Patris Filii & spiritus sancti, hæc consequuntur
salutarem $\kappa\omicron\upsilon\omega\upsilon\lambda\alpha\varsigma$ corporis & sanguinis Domini in Cœnâ. & circa
finem ejusdem capituli $\kappa\omicron\upsilon\omega\upsilon\lambda\alpha\varsigma$ totius Christi & omnium ejus be-
neficiorum ut effectum & fructum $\kappa\omicron\upsilon\omega\upsilon\lambda\alpha\varsigma$ corporis & sangui-
nis in sacramento factæ probat. pariter D. Hulsemannus Brev.
Exc. c. XIII. § 8. Unionem spirituales vocat Cœnæ effectum.
salutarem à DEO intentum mediante sacramenti naturâ. ejus-
dem cap. suppl. §. 4. largitur per spirituales unionem fidelem
jungi physicæ substantiæ corporis Christi, ita ut nihilominus
conjunctio fidelis manducantis cum substantia corporis Chri-
sti, quæ fit mediante orali manducatione corporis in cœnâ, pe-
culiarem habeat effectum gratiæ & consolationis distinctum
ab effectu purè spiritualis unionis. nam etiamsi perceptio Christi
spiritualis per Evangelii verbum contingit credenti, ut tamen appli-
catio in Sacramento pignore ditata est, ita unio cum Christo inde fit
arctior & certifiat sumentes, intrò respicit Christum non solum spiri-
tus sed etiam corporis & sanguinis participatione admiranda sunt
verba Hoffman. Off. Theol. L. XXVII. §. 17 explic. pag. mibi 869.

XVI. Organica ex parte nostri est Fides *Job. VI. 56. Qui man-*
ducat meam carnem & bibit meum sanguinem in me manet & ego in
eo: quem locum Barradius tom. IV. lib. IV. c. 4. propè finem falsò
putat agere de Eucharistiâ, Beza ad præced. vers. 51. tò edere &
bibere participandi aliquid revera, emphasin sustinere annotat.
Nec minus Calvinus Instit lib. IV. cap. XVII. sect. 5. & 6. suam adjo-
cit $\epsilon\tau\omega\iota\kappa\epsilon\iota\omega\upsilon$, manducare inquit, quod quidam uno verbo defi-
niunt per credere in Christum, mihi expressius quiddam &
sublimius notare videtur, nempe veram participationem Chri-
sti, quam manducandi & bibendi verbis ideo designavit Chri-
stus, ne quam ab ipso percipimus vitam simplici cognitione,
percipi quisquam putaret. Ravanellus Biblioth. Sacr. part. I. p. 316.
Comedere Job VI 56. significat intus recipere, adeo ut conjungaris
cum

cum eo, quem admodum cibus, quem comedimus intus recipitur, & in substantiam nostram convertitur; & edere carnem & bibere sanguinem idem esse ac conjungi cum Christo, atq; ex hac conjunctione & unione fieri beneficiorum ejus omnium participem.

XVII. Plenior hanc phrasium, bibendi sanguinem & edendi carnem Christi, interpretationem quam Calvinus cum asseclis suppeditant, merito mittimus, & sequimur B. Hunnium, Osiandrum & Confessionem Württembergensium Theolog. in Colloq. Mompelg. p. 31. quæ manducare carnem Job. VI. metaphoricè pro credere in Christum sumit; nam per τὸ edere & bibere non effectum consequens fidei sed ipsa forma, describitur, per carnem, verò & sanguinem objectum primum fidei, ut sunt obedientia in carne præstita & mors sanguinis effusione facta, nobis denotatur, causalis enim est prædicatio cum servator ait, Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum in me manet & ego in eo. Si verò manducare carnem Christi sit ipsum effectum fidei, quo Christus noster efficitur, in nobis habitat, manet, se nobis unit ut ipse caput nostrum, nos membra ejus simus. ceu habent verba Calvini l. c. si edere & bibere carnem & sanguinem Christi idem est, ac conjungi cum Christo, ut vult Ravanellus, identica foret propositio hoc modo; Quicumq; vere participat me & jungitur mecum, in me manet & ego in eo; Videmus ergo quomodo hallucinentur quidam Reformatorem, Aretius enim ad versic. 5. & 54. hujus capituli nobiscum sentit, dum formale instrumenti cum formali effectus confundunt, bibere enim & manducare exprimunt fiducialem receptionem s. apprehensionem quæ est ipsissima fidei forma, mutua autem immanentia Christi & fidelis habet se instar formæ unionis spiritualis, citra quam immanentiam extremorum ipsa vera & realis unio in fumum abit: Edere carnem, bibere sanguinem, & manere nostrum in Christo & Christi in nobis, secundum nostratum explicationem differunt, ut causa & quidem instrumentalis & effectum; nam sicuti oralis manducatio est medium, quo homo verè substantiæ sacramenti Coenæ fit particeps; non ipsa participatio: Sic manducatio spiritualis & bibitio non sunt ipsa communio s. unio cum Christo, sed organon, quo accipimus istud bene-

beneficium θεανθρώπων, vide quomodo Christus Job. VI. v. 29. 35. 40. 47. edere carnem & bibere sanguinem per credere explicet.

XVIII. Organon s. medium hoc nobis *intrinsecum* aliis verbis exprimit salvator Job XIV. 23. nempe per *servare sermonem Christi*, ad quam phrasin B. Gerbardus, *Vir cujus doctrina sinceritas laboris assiduitas & iudicii dexteritas non amicos, sed hostes veritatis in admirationem trahit*, in Harm. Evang. p. III. pag. 591. ita commentatur: *Accuratè hic notandum, quod per τήνησιν τῶ λόγῳ τῶ χριστοῦ fides verbum Evangelii, & in eo Christi beneficia amplectens intelligatur, & sic describatur medium his verbis, per quod specialis divina dilectionis ac gratiose inhabitationis participes reddimur; illud enim est, & manet sola fides in Christum. Conf. Luc. XI. 28. Job. VIII. 37. & si. Apoc. III. 8. ubi λόγος semper sumitur evangelicè seu pro Evangelii doctrinâ specificè dictâ, & cum verbis τήνησιν Φυλάτῃεν conjunctim consideratus, fidem salvificam definit.*

XIX. Nec alicujus ponderis est, quod verba proximè connexa: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*. Pontifici obtendant; cum his neq; efficiens neq; formalis aut meritoria causa mysticæ unionis s. inhabitationis divinæ; sed tantum *objecti conditio, nota, proprietas & qualitas* describatur, cui res promissa *adventus & mansio Trinitatis actu conferatur*, quæ licet omnibus seriò in divina promissione offeratur, tamen ab omnibus, ob veræ & per se vivæ fidei, quæ indivulso nexu, quicquid Bellarm. lib. I. de Justif. C. XV. ogganniat, ut *necessarium consecutivum* conjunctam tenet caritatem, defectum non percipitur; ideoq; hic Christus à visibili fidei *indicio* & sic à posteriori describit *subjectum propositionis*, nequaquam à causa quæ proximè prædicatum connectit; ideoq; *servare sermonem Christi* in textu *proximè* cohæret cum inhabitatione Trinitatis, quam cum dilectione *subjecti*; uti igitur caritas non est *causa* fidei, sed *effectus*, quo fides cognoscitur: Ita non est causa *adventus & inhabitationis*, sed *nota & indicium infallibile Christi per fidem inhabitantis & mansionem facientis*.

XX. Neq; scripturæ infrequens est *specificativè* loqui denominando *subjectum* ab effectu causam necessariò consequente v. g. vers. 21. præcedente: *Qui tenet præcepta mea & observat illa, is est*

is est qui diligit me, ubi certè observatio præceptorum est effectus dilectionis, dilectio n. ordine naturæ præcedit. Item v.16. Christus de missione Spiritus S. loquens pro subiecto ponit Diligentes se & mandata servantes; non quod dilectio & mandatorum observatio sit causa promissæ intercessionis & medium impetrandi Spiritum Sanctum quapropter August. tract. 74. in Joh. Quomodo diligemus, ut eum accipiamus, quem nisi habeamus diligere non valemus? quomodo mandata servabimus ut cum accipiamus, quem nisi habeamus, mandata servare non possimus?

XXI. Largimur itaq; propositionem hanc ut ἔγγραφον *Is qui Christum diligit sermonem Christi servat, h.e. credit, item, Is qui Christum diligit, diligitur à Deo, Trinitas ad eum venit & mansionem facit apud eum, at reservando, ne pronomen Qui causaliter & reduplicativè sed tantùm specificativè accipiatur, neq; dilectio vel fidei forma aut causa per quam nos agglutinemur Christo statuatur.*

XXII. Expressius causa instrumentalis indigitatur *Eph. III.17. Per fidem habitat Christus in cordibus nostris quod dictum Calvinus lib.IV. C.XVII. n.5. citat & habitationem eximium fidei effectum rectè quidem interpretatur, at dum ex eodem manducationem carnis & bibitionem sanguinis judicare & exæquare nititur, committit Elenchum parium. Sed cum hoc dictum per se coruscet, uberiori explicatione ratione instituti & subiectæ causæ instrumentalis non eget. confer. Coloss. II.7. & imprimis Job. XVII. 20.23. Qui crediderunt in me, sunt in me & ego in eis.*

XXIII. Fidem quando organicam dicimus causam unionis, justificantem intelligimus, non tamen ut justificat, sed quatenus à causâ principali ordinatur, ut sit medium, per quod se Trinitas ex liberrima voluntate communicare & nobiscum unire dignatur.

XXIV. *Justificantem* dum nominamus excludimus fidem historicam, ut est certa persuasio de veritate scriptoris & scripti & sic rationis usum requirit, quæq; sæpe ab extremo uniendo & unito, sic Diabolus *Jacob. II.19. credere dicitur & tamen ab unione cum Deo in æternum exclusus est: Sic hypocri-*

ta etiam cum speciali assensu ejusmodi syllogismum extruere potest: Christus per fidem in omnium hominum cordibus vult habitare; Ego sum homo; Ergo etiam in meo corde vult habitare per fidem: nec tamen hanc inhabitationem Christi & unionem cum DEO desiderare, quærere & fiducialiter promissionem de ea apprehendere & sibi applicare satagit, & sic per historicam fidem, extra Christum manet.

XXV. Miraculosæ fidei hanc unitivam ἐνέργειαν ab ipso Christo *Matth. VII. 22. 23.* derogari ὁ Θεὸς αὐτοφανερώς elucelcit.

XXVI. Fides quamvis formale suum Esse obtineat in regeneratione strictim sumpta, ut est regenerationis terminus ad quē, uti præcellentiss. D. Johannes Musæus Salanzæ Acad. Professor Publicus præceptor hospes ante hanc ac fautor meus debita reverentia & amore prosequendus *disp. V. de Convers. & b. Cundis. ἀγίας μνήμης* hospes ac præceptor olim fidelissimus *disp. IX. c. II. §. 16. decad. sec. Coll. Isag.* regenerationem & fidem accipiunt, nondum hominem unit cum Christo, sed saltem consideratur simpliciter ut terminus regenerationis citra respectum organi, quem in ipsa justificatione & hanc excipiente unione spirituali subit, & concipitur ab intellectu nostro ordine prior, licet simul sint collatio virium credendis, accensa fides & justificatio & unio hæc tempore, nec contradictionem speramus à quoquam, cui saltem constabit ordo trium beneficiorum, regenerationis, justificationis & renovationis in proprio formali consideratorum, & Christum cum nemine uniri, nisi qui credat *Jesus esse Christum I. Job. V. 1.* sc. suum mediatorem; & sic nativitatem ex Deo adeptus sit: deinde Christum neminem inhabitare, nisi à peccati reatu sit liberatus per justificationem *Sap. I. 4. τῆς ζωῆς τῆ θεῶ ἀβalienatus à vita DEI, Eph. IV. 18.* (qua in nobis vivit Beza;) & consequenter *χωρὶς χειρῶ Eph. II. 12.* Nec tamen hæc renascentia sufficit, sed oportet aliam gratiosam DEI actionem intervenire, quæ dicitur justificatio, quâ homo renatus propter Christi meritum fide sibi appropriatum justus reputetur, & dignus hæc unione censeatur.

XXVI

XXVI. Num verò fides quæ justificat etiam eo ipso uniat
cum Christo, asserere debemus; B Hopffnerus in dissertatione de
actibus fidei justificat quatenus justificat, annexa Comment. super Psalm.
XCI. p. 142. seq. facit hanc unionem cum Christo actum essentia-
lem fidei justificantis, præterea ipsa apprehensio Christi videtur
importare unionem eum eo, & sic formalem nostræ justificationis
causam, citra unionem quandam vix concipi posse, etenim si
fides revera apprehendit meritum Christi, Christum jam præ-
sentem esse oportet, extra personam n. mediatoris meritum
amplecti nequit; Neq; enim virtus, gratia, efficacia Christi, extra
ipsius personam & sine ea, etiamsi ipse non adsit, credentibus commu-
nicantur, imo Christum ipsum ante omnia nobis donari & nostrum
fieri, nobis adesse ac nobiscum conjungi oportet, ut ita ex ipso, in ipso,
& per ipsum impleamur in omnem plenitudinem. uti gravissime loqui-
tur Chemnit. lib. d. duab. nat. Christi C. XXXI.

XXVII. In contrarium nos trahit, quod Christus & tota Tri-
nitas ante justificationem hominem sub reatu peccati inveni-
ant, quo stante non possunt se cum ipso unire, ut in eo tanquã
templo habitent; Templum enim DEI est sanctum; quam obrem
probè distinguendum inter functiones fidei justificantis; pri-
mariam & formalem exercet in justificatione, cum fertur in
promissionem gratiæ & remissionis peccatorum, quam sibi ap-
plicando & appropriando amplectitur; secundariam exercit evēg-
yelicam, quando cæteras promissiones concatenatas, quarum non
postremæ sunt de unione, & in habitatione Christi & DEI respi-
cit.

XXVIII. Rem si penitiùs inspiciamus deprehendemus fidem
qua justificat & qua uniti. conjungit differere i. Objecto; in justifi-
catione fides in & sub promissione accipit promeritam obe-
dientiam tum activam tum passivam Christi justiciam, & hanc immē-
diatè respicit; in unione verò fides sub promissione respicit
immediatè ipsam personam Christi, qui se in fidelibus habita-
turum liberrimè recepit, & ex pacto tenetur servare pro-
missum; in justificatione quod recipit fides, est homini justifi-
cando extrinsecum, cum justitia illa Christi persone inhaereat,
C. 2. a qua

à quâ homo tanquam *extrinsecâ formâ extrinsecus*, sed tamen
verè & realiter, justus denominatur, quam verè & realiter
Christus per imputationem factus est peccati reus, *in unione*
verò fides accipit Christum *actualiter* & secundum substantio-
am intimè homini præsentem, & præsentèr gratiosè operan-
tem, quæ operatio *intrinsecam* efficit in homine mutationem,
undè *intrinsecè* justus, sanctus, temperans nominetur: nam in-
fluentia gratiæ sive ut Dn. D. *Hulsemannus in suppl. Breviar. C. XIV.*
§. I. loquitur operationes & dona divina per modum accidentis
hominibus insunt. *In justificatione* fides intuetur Deum ut *causam*
justificationis efficientem, Christum ut *meritoriam*, Deus siquidè
est iudex qui in iudicio suo comparentem peccatorem absol-
vit & innocentem pronunciat propter sufficiens Christi me-
ritum, tanquam pretium satisfactorium persolutum rigori ju-
sticiæ divinæ, & eodum absolvit peccata remittendo, ipsam
mediatoris partem justiciam fide à justificando apprehensam,
realiter imputat, & privilegia mediatoris, ut sunt filiatio, hæ-
reditas vitæ æternæ, concedit: *In unione* fides Deum non tan-
tùm ut causam efficientem & Christum ut meritoriam respi-
cit, sed quoq; amplectitur, ut *alterum unibile s. extremum* quod
in unionis actu *materia vicem* sustinet, & hoc non per imputa-
tionem, sed per veram *essentiæ approximationem* & *gratiosam o-*
perationem.

XXX. 2. *Adequato subjecto* differt fides ut justificat & ut
unit, *ibi* in justificatione est fides *in re nata* s. credente jam jam
justificando, *hic* in unione subjectum fidei est homo jam *justifi-*
catus; *Eph. V. 26.* Cave ullam temporis prioritatem hic concipi-
as, nam de solo ordine, quem regeneratio ad justificationem,
justificatio ad renovationem, *cujus si placet, principium*, è quo re-
novatio fuit & emanat unionem cum DEO appellabimus, servat,
nobis sermo est: Notetur tamen quando nos unionem cum
Deo principium renovationis diximus nos renovationem ac-
cipere *specificè*, ut notat *actionem DEI in homine jam in gratiam re-*
cepto producentem per verbum & sacramenta bonos motus internos
& *externos, quæ neq; fidem justificantem neq; justificationem ingredi-*
untur, sed ordine naturæ consequuntur; quemadmodum no-
stra

stra actio, quâ nosmetipfos renovamus, subordinatur actioni
divinæ s. renovationi dicto jam modo sumptæ; sic ipsa actio di-
vina quæ dicitur renovatio subordinatur unioni spirituali, ex
qua *immediatè & proximè* fluit, ita ut unitus cum Christo &
DEo non possit non à DEo renovari. *Sed hæc obiter.* Idem docet
D.D. Hulsemannus Brev. C. XIV. suppl. 2. ubi *κοινωνία* *Θείας*
Φύσεως II. Petr. 1. 4. operari in nobis devitationem concupi-
scentiæ asserit.

XXXI. 3. *Gradu*, ibi fides nequaquam secundum majus &
minus consideratur, sed in totum vis justificandi ab obiecto
justifico dependet, nec linum fumigans fidei minus justificat,
quam lampas s. fax & lumen ejusdem *Cundis. Coll. ffag. dec. 2.*
disp. X sect. 2 punct. 1. §. 3. Hic admittit graduum perfectionem &
pro majori sui incremento arctius & propius credentem cum substans
tia corporis Christi jungit, sunt verba Magni Hulsemanni suppl. Brev.
cap. XIII. §. 4.

XXXII. 4. Duæ hæ functiones fidei differunt *prioritate* tum
dignitatis, tum *ordinis*, fides enim quatenus justificat digniore
fungitur officio, quia facit nos DEi amicos, perfectè justos, hæ-
redes vitæ æternæ, quando verò unit facit nos justos quidem,
sed non perfectè, neq; hæredes vitæ & cohæredes Christi con-
stituit, cum non per unionem s. inhabitationem sed per justifi-
cationem hæc consequamur. Deinde *ordine* functio fidei, quâ
justificat, præcedit alteram, quâ in unione ut instrumentum
concurrit. *Meisn. disq. theol. de primario effectu fidei, justificatione.*
anno 1619. 20. Aug. habitæ tb. V. inter justificantis fidei conse-
quentes actus primo loco ponit inhabitationem, & huic subji-
cit purificationem cordium, spirituales vitam &c. B. Lucas Bac-
meister. *in disp. inaug. IV. Candid. Theol. Rostochii anno 1594. d. V.*
Septembr. tb. XXX. de justif. fid. eundem observat ordinem. *Effe-*
ctum fidei est, inquit, *quod per Christi sanguinem ab omni peccato*
tum originali, tum actuali, plenissimè emundamur I. Job. I. & *omni justici-*
cia in ipso impleta donamur Rom. IV. II. Corinth. V. & *thes. XXXI.* De-
inde κοινωνία nostri cum Christo cui per Spiritum Sanctum, ut membra
capiti unimur, & *tanquam palmites viti inserimur, ut omnem ab*

ipso fructificandi virtutem accipiamus & sanctificati incipiamus cogitare velle & facere quæ DEi sunt. Quæ verba non modò ordinem effectorum fidei monstrant; sed etiam lucem afferunt thesi nostræ XXX. ubi incidenter de renovationis principio diximus.

XXXIII. Utrobiquè; autem & in justificatione & in unione eadem manet *causandi ratio*, instrumentalis scilicet; eademq; *forma* seu natura fidei, quæ est fiducialis apprehensio, cui idem ex naturâ relatorum respondet *fundamentum*, promissionis veritas, cui fides innititur ut basi, & à quâ tanquam manu offerente, porrigente & realiter exhibente, oblatam rem accipit: utrobiquè; *modus agendi* seu apprehendendi est *ληταλινός* quod probant verba quibus natura fidei describitur, *λαμβάνειν* cum compositis *παραλαμβάνειν* & *καταλαμβάνειν* quæ non tam *activam* quam *passivam* significationem habent *notante Joh. Tarnov. Exerc. Bibl. lib. IV. p. 1210.*

XXXIV. Et hanc suam formam seu vim receptivam unionis spiritualis retinet fides tum *in actu secundo*, tum *in actu primo*, nam etiam habitus fidei licet credendi actus interdum cesserit, nihilominus respectum tenet ad promissionem & (*si res ita comparata est, ut in hac vita verè fide accipi queat, qualis unio nostræ cum Christo*) ad rem promissam, manetq; sic fides rei creditæ fides, licet homo non singulis horarum momentis *actu* exerat; ut enim philosophus, qui actu non philosophatur, ob habitum verè dicitur philosophus, sic etiam fidelis manet fidelis, & per suam fidem *habitualem*, quamvis secundus actus non nihil quiescat, aut saltem non adeò appareat, manet Templum DEi & membrum Christi, ac semel apprehensum & in corde habitantem Christum retinet ac possidet: sicut enim justificatio à DEo continuatur *B. Cundis. Diss. X. c. II. S. 4. dec. secund. Coll. Isag.* Ita hæc unio gratiosa continuatur & manet homo in statu ejusdem.

XXXV.

XXXV. Expositis, quod fides & quidem justificans, item quomodo hæc sit unicum ex parte nostrâ organon unionis nostræ, dispiciendum erit, quomodo Pontificii, Calviniani & Weigeliani fidem in hujus unionis productione concurrere doceant.

XXXVI. Pontificiorum sententiam Concilium Tridentinum, cui, ut Bellarminus fatetur, Catholici omnes ingenia & judicia sua sponte subijciunt, exponit Sess. VI. cap. VII. de caus. justif. his verbis: *Fides n. s. ad eam spes & caritas acced. t. neq; unit nos perfectè cum Christo neq; corporis ejus vivum membrum efficit*: Bellarm. Tom. III. lib. I. de grat. & lib. arb. cap. VI. inquit, in dicto Pauli Eph. III. 17. *Fidem intelligi vivam & charitate formatam extra dubium est, & seq. pag. 68. Caritati conjunctionem cum DEO tribuit, quando I. Cor. VI. sic legit. Qui adhæret DEO (videlicet per caritatem) unus spiritus fit cum eo.* lib. II. de justif. c. V. hæc habentur: *Nimirum non habitat DEus in nobis, nisi præcedat fides & caritas* Eph. III. I. Job. IV. 16. Barradius Tom. IV. lib. IV. cap. VII. Concord. Evang. ad verba: *Ad eum veniemus &c.* Via caritas est, qua & nos ad Deum & Deus ad nos venit, hæc si tollamus, neq; ad nos veniet Deus, neq; ad Deum nos veniemus. *Item Amor præcursor DEI est, domum parat & ornatur tanto Regi. Item Amor capacem DEI facit hominem, absq; amore capax non est tanti boni* seq. cap. X. ad verba *omnem palmitem in me &c.* Palmities id est Christiani sunt in Christo, veluti vite, per fidem & charitatem. Ejusdem farinae sunt quæ Maldonatus habet, qui *τὸ αἰεῖν in Christo non per fidem solam, sed multò maxime per charitatem, cum per fidem multi in Christo maneant, qui tamen fructus non ferant*, fieri putat.

XXXVII. Respondemus i. Concilio Tridentino: Nos unionem hanc fidei, uti illi eam accipiunt pro mero assensu, non tribuere vid. thes. XXIV. at fidem s. fiducialem Christi apprehensionem, nisi ad eam spes & caritas accedat, eamq; intrinsecè perficiat, perfectè nos cum Christo unire non posse, id est, quod

quod pernegamus, quando igitur aliquo modo fidei unionem tribuunt, nituntur falsa hypothese Patres Concilii; ac si fides sit assensus & hunc assensum per modum dispositionis meritorie subiectum s. hominem preparare & habilem reddere autumant, ut capax sit unionis cum Christo. At nos negamus utrumq;: & fidem non dispositivè concurrere, sed ὀργάνως sæpius diximus; dispositiones Papales nisi it scriptura. Infusum caritatis habitum in voluntate fidei perfectionem addere, eamq; in actu unionis informare, actu re & movere τὸ πῶτον ψεύδος est, nam charitas & fides sibi in Evangelicis effectibus opponuntur, jam nullum oppositum potest esse forma alterius oppositi; & consequenter vim formaliter agendi opposito tribuere. Remanet igitur quod fides non per charitatem, quæ est effectus & fructus fidei, sed per scientiam propriam, quatenus fertur in ipsum Christum, nos jungat cum Mediatore.

XXXIX. 2. Bellarmino respondemus, concedendo Apostolum Eph. III. 17. loqui de viva fide, at non quæ sensu papistico viva, & ut connexa Bellarmini verba probant, fides formata dicitur; Nos formam fidei unientis explicavimus thes. XXXIII. & per hanc formam, videlicet per apprehensionem fiducialem, vivere eam credimus, & vi hujus vitæ operationes vitales s. fructus, caritatem, spem &c. producere & se manifestare fatemur. Deinde ipsi largimur fidem præcedere inhabitationem, uti causa dicitur prior effectui, & quomodo fides non solum materialiter, quoad actus priores noticiam & assensum, sed etiam quoad ultimum actum, fiduciam, & sic formaliter spectata prior dici possit inhabitatione superius thes. 26. explicavimus. Caritatis, quam pro more cum fide conjungit, præexistentiam ante inhabitationem divinam negamus, quippe ipsa operatio Spiritus Sancti, cujus fructus caritas est, natura prior est admisione nostra, præsentia autem Spiritus sancti μερῶς sumpta pro adessentia, est naturâ prior operatione: præsentia verò Christi iterum ordine antecedit præsentiam Spiritus S. quia à Filio per carnem in corda fidelium mittitur, ut ea inhabitet & ducat.

XII. 3.

XII. 3. Resp. *Barradium, Maldonatum, ut & Bellarminum* quando pro caritate I. Job. IV. 16. allegat, *signum cum signato, & causatum cum causa confundere*; ubi enim scriptura unionem cum caritate conjungit, ibi loquitur de indicio practico; non medio aut modo hujus unionis veluti *supra thes. XIV.* notavimus. Ut enim respiratio non est *formalis causa* naturalis unionis animæ & corporis, sed *argumentum* unde vita s. unio naturalis dignoscitur: sic caritas certum indicium est hominem communionem internam habere cum DEO, & *cessante hoc individuo effectu, cessare quoque causam in actu*, cum scripturam colligimus, uti *respiratione cessante hominem jam mortuum esse argumentamur Gerbard. P. III. Harm: p: 739.*

XL. Sicut *Pontificij* nimis *abjectè* sentiunt de causâ organicâ mysticæ unionis; ita *Calviniani* nimis *elate* loquuntur. Ne verò *sinistrum* iis affingere sensum videamur, placuit pauca adscribere.

XLI. Gallica Confessio art: XXXVI. Anno 1561. Carolo IX. Galliarum Regi exhibita sic loquitur de causa instrumentali: *Quamvis nunc sit in cælis, ibidem etiam mansurus, sc: Christus, donec mundum veniat judicaturus; credimus tamen eum arcanâ & incomprehensibili Spiritus sui virtute nos nutrire & vivificare corporis & sanguinis sui SUBSTANTIA PER FIDEM APPREHENSA.* Scotica Confessionis Anno 1580, à Rege receptæ & subscriptæ verba sunt. art: XXI. *Spiritus Sanctus nos VERA FIDE supra omnia, que videntur, queque carnalia & terrestria sunt, VEHI, & ut vescamur corpore & sanguine Jesu Christi semel pro nobis effuso & fracto, efficit, quodque nunc est in cælo & in præsentia Patris pro nobis apparet.* Belgica anno 1579 confirmata Conf: *Instrumentum seu medium, quo hæc [ipsissimum Christi naturale corpus & verum ipsius sanguinem] comedimus & bibimus est Spiritus ipse noster, idque per fidem. Christus itaque semper ad dextram Patris residet, nec ideo minus se nobis per FIDEM communicat.* Bucanus Instit. Loc. XLVIII. q. 41. *fidem supra se in summum cælum elevatam penetrare, ibidemque Christum apprehendere putat.* Beza Colloq. Momp. p. 87. *Nos dicimus, Corpus Christi menti præsens esse, licet in uno loco cæli contineatur & absens sit à terra: si modo id mens per fidem intueatur & per fidem in*
D cælum

coelum evehatur: *præter hunc modum præsentia, fateor, nos nul-*
lum alium modum præsentia corpori Christi tribuere posse, quam lo-
calem. Amandus Polanus syllog. thes: theolog. P. 1. pag. 308. eb. 68.
de Cæna Domini: Adsunt nostræ menti [corpus & languis Christi]
per Spiritum Sanctum & fidem in cælum sublata. & ibi in cælesti mensa
corpore & sanguine Christi potienti & fruenti & thes. 61. Corpus Chri-
sti est absens nobis loco, sed præsentissimum est nobis unione nostri cum
illo, per habitantem in eo & in nobis Christi Spiritum. Syntag. lib. VI. c.
56, modum elevationis his explicat: Mens fidelis in cælum tollitur
non loci mutatione seu migratione è corpore, sed sancto & devoto
affectu.

XLII. Dimissis, quæ nostræ non sunt *σκέψεως*, falsis suppo-
sitis, de cælo transmundo, de corporis Christi localitate in eodem, de
sinistra dextra DEI acceptance, ad *ἄλογον* commentum de subvo-
lutione fidei Icaricâ, & Phaethonicâ migratione quædam repo-
nenda erunt, quia non tantum dictis erroribus *περίλωμα* præbere,
sed etiam unionis nostræ cum Christo proprietatem evertere, &
substantialem extremorum propinquitatem infringere, maximè
autem, nostram de fidei in hac unione instrumentali concursu
sententiam eludere debet. Quantum igitur è Confessionibus
& scriptis Reformatorum colligimus, hæc est eorum sententia;
Fidem & mentem supra adspetabiles cælos in transmundanum para-
disum arcanâ & incomprehensibili Spiritus Sancti virtute elevari &
ibi cum substantia carnis Christi realiter uniri. Hoc nos negamus
& quidem hoc ordine, ut si poneretur supra cælestis locus, si po-
neretur corpus Christi in eodem esse, tamen (a) neque fidem (b)
neque fidelem mentem, spiritum vel animam eò elevari (c) neque per vir-
tutem spiritus hoc fieri, evincamus.

XLIII. *Primum κεινομένῃς* momentum, *fidem extra nos in*
cælum arcanâ virtute Spiritus Sancti rapi, & ibi substantiam corporis
Christi apprehendere, suppeditant nobis Gallicæ Confessionis &
Bucani allegata verba, si accipiantur prout jacent; terminum,
ad quem elevationis s. penetrationis fidei ponunt summum cæ-
lum, ubi Christus maneat ad diem usque extremi judicij; à quo
nos in terrâ; sed hæc falsò: objectum fidei faciunt substantiam cor-
poris Christi, & hoc rectè: modum instrumentandi dicunt apprehen-
hensi-

hensivum & hoc rectè; At malè & justò minus apprehensionem fieri in loco supra cœlesti, malè item fidem eò elevari. Si enim apprehensio est realis, uti substantiæ corporis mentio secum fert, utique & fides in cœlo præsens existat necesse est, eò dum apprehendit. Ubi igitur tunc temporis, cum fides in cœlum elevata Christi substantiam apprehendit, est fidelis? Non in summo cœlo, quia ipse est terminus à quo elevatio fidei fit, nec in terris fidelis, quia talis, esse potest potest, quia fides, unde denominatur, non est in terris sed in cœlo. Ergo nullibi? Absurdum. *Dicis* hominem per eandem fidem quæ in cœlum evehitur esse & dici fidelem, nec eò dum elevatur & Christum apprehendit desinere esse fides fidelis subjecti. *respondeo* impossibile esse denominari aliquem ab accidentaria formâ, quæ tantum distat à subjecto, quantum terra à summo cœlo. *Si regeris*, denominate subjectum, competere fidei per naturam accidentis, elevari autem, secundum arcanam Spiritus Sancti virtutem & non per essentia sed gratiam, & sic male sibi invicem opponi naturam accidentis & gratiam Spiritus Sancti; *respondeo* quamvis arcana hæc virtus & gratia nunquam probari possit, quæritur, si ponatur maximè, num fides quando evehitur, exuat naturam accidentis, & sic desinat esse? se affirmas, dico, quod elevari & apprehendere Christum fides non possit, quæ jam esse desinit; si negas, oportet te admittere ejus inexistentiam in homine, quia tota natura accidentis pendet à subjecto cui inexistit; igitur fides in ipsa elevatione & apprehensione in terris erit; sed esto, fidem esse in cœlo illo fictitio, quia ibi apprehendit, apprehendere autem non potest realiter substantiam, nisi verè adsit; & luculenter constabit: *Fidem, simul esse in cœlo & in terris.* Prius est thesis adversariorum; posterius per naturam accidentis liquet. Datam exceptionem *naturam non opponendam esse gratia & operationi Spiritus Sancti* meliori cum jure retorquemus; cur Viri reformati naturalem corporis affectionem gratia Unionis personalis opponunt, cur eam opponunt omnipotentia divina, cur voluntati Christi, quæ tam expresse constat in verbo, cur sessioni ad dextram? neque unquam nostrates è natura corporis fluere præsentiam in pluribus locis simul dixere, sed per gratiam unionis & exaltationis ad dextram.

cur igitur corpori infinita hypostasi donato & omnipotenti spiritui Christi tribuere tergiverfantur, quod fidei tribuere coguntur, nempe simul esse in coelis & in homine, ? numne Coelum illud Calvinianum & terra sunt loca maxime distantia, ? Certe si corpus cujus essentiale consequens localitas non est, ut probat Scaliger Exerc: V. sect. 6. & Meisnerus exempla adducit I. P. Phil: Sobr: sect. III. c. 1. q. 2. in pluribus locis simul esse per se nequit, multo minus fides in coelum elevari & simul homini inexistere poterit, quia hujus natura pendet ab inexistencia in alio.

XLIV. Adversus hanc Bucani & Confess. Gallicae opinionem notetur, quando fides elevata in coelo substantiam corporis Christi apprehendere dicitur nobis in terra manentibus, organon unionis opponi extremo unito, adeoque non esse unionem Christi & nostri realem, sed in apprehensione fidei terminari unionem substantiae Christi, & hinc sequi fidem non tantum organon sed etiam alterum Extremum esse quod cum substantia Christi conjungatur. Nos contra dicimus non fidem extra hominem sed hominem per fidem recipere substantiam Christi, fidemque suo officio organizandi fungi intra hominem, & intra ambulantiem & inhabitantiem Christum amplecti, & quamvis hoc non faciat, quatenus est actus mentis internus s. opus nostrum, tamen in ipsa functione instrumenti non egredi aut elevari extra, sed coram sub promissione exhibitum Christum verè recipere: Ea siquidem est natura fidei, ut sub praesenti verbo promissorio rem oblatam sequatur, prout eam in suo esse reperit, ; uti igitur res promissa se habet, vel ut praeterita v. g. creatio, incarnatio; vel ut futura v. g. resurrectio mortuorum; vel ut praesens v. g. remissio peccatorum, adoptio, Inhabitatio s. Unio cum Christo: ita in eam fertur fides. Nusquam in scripturis apex invenietur, quod fides causa effectiva praesentiae Christi a DEO sit ordinata, sed Christus est praesens in promissione, licet hic vel ille non credat aut credendo recipiat. *Φλυαγίας* de praesentia relativa fidei jamdudum excusserunt Gerbard. Tom. V. de Cæn. Dom: c. XI. p. 225. Meisn. I. P. Philos. Sobr: sect. I. c. 2. q. 1. & 2. Danbawer: Mysterioroph. sect. III. art. 2. p: 780. Unionis vero nostrae causa effectiva fides est, quatenus duo unibilia, Christum quidem in & sub Promissio-

missione præsentem, fidelem verò hanc promissionem acceptam & applicantem, actu conjungit.

XLV. Secundum, *Fidelem mentem seu spiritum nostrum in unione spiritali elevari* amplectuntur *Scotica & Belgica Confess: ut & Polanus & Beza*; sed tantum abest, ut absurditates evitent, ut pluribus implicentur. Argumentamur itaque: Aut hæc elevatio mentis vel animæ est vera & propria, aut metaphorica; si vera est, oportet animam in cælum jam elevatam corpus suum exanime relinquere, aut oportet animæ rationali tantum *ubi definitivum* tribui, quod cælum & terram suo capiat ambitu; utrumq; absurdum, *prius* negat experientia, item operationes vitales, & Paulus, qui se eo, dum Christus unitus in ipso vivebat, in carne vivere testatur, *Gal: II. 20. posterius* negabunt *Metaphysici, vid. Pneum: D. D. Scharffij lib. II. c. 1. canon. VII.* Ubi nec angelum, qui nunc *Witebergæ* est, in eo momento *Romæ* esse posse dicit. Num igitur angelica natura deterioris erit conditionis, quam anima rationalis, quæ supra ad spectabiles cælos cum Christo uniri & simul hîc in corpore subsistere potest? Absit. Relinquitur ergo metaphorica unio quam *Amandus Palanus l.c. sancto & devoto affectu* fieri explicat.

XLVI. Quorsum igitur bone deus! amplissimæ referendæ erunt declamationes *Calvini lib. IV. Instit: c. XVII. num. 5.* Quemadmodum non ad specto, sed ejus panis corpori alimentum sufficit, ita verè ac *penitus* participem Christi animam fieri convenit, ut ipsius virtute in vitam spiritali vegetetur: *num. 6.* nos fide Christum cõplecti non *eminus* apparètem sed se nobis unientem, ut ipse caput nostrum, nos verò membra ejus simus. *num. 9.* Corpora nostra membra esse Christi, quæ omnia non posse realiter effici intelligimus, quin *totus* Christus *Spiritu & corpore* nobis adhæreat. certè, nisi ut veritate convictus linguam orthodoxam mentiat, Ecclesiam Christi ludificet, speciosis verbis lectorem detineat & occupet, ubi ad præcipuum quæstionis momentum dicere coguntur viri Reformati quid sentiant, turpissimi deprehenduntur præstigiatores, instrumento fidei nil nisi *contemplationem substantiæ* longè dissitæ, animæ fideli non ipsum Christum substantiâ præsentem, sed *devotum & pium affectum* concedentes cum antea

verbis magnum de substantiæ participatione mysterium largiri
vili sunt.

XLVII. Tandem desperatæ causæ Calviniani *σοφὸν φάσμα* quærunt per arcanam & incomprehensibilem virtutem Spiritus Sancti, quæ non modo è citatis *Gallicæ, Scotiæ & Belgicæ Confessionum* verbis ad oculum patet, sed etiam è *Calvini lib. IV Instit: c. XVII num. 10.* Et si, inquit, incredibile videtur, in tantâ locorum distantia penetrare ad nos carnem Christi, ut nobis sit in cibum, meminerimus, quantum supra sensus omnes nostros emineat arcana Spiritus Sancti virtus, & quàm stultum sit ejus immensitatem modo nostro velle metiri; Quod ergo mens nostra non comprehendit, concipiat fides: Spiritum verè unire quæ locis disjuncta sunt.

XLIX. Ad tertium & ultimum effugium respondemus: I. nos Spiritum Sanctum ab hac unione non excludere; sed causam efficientem *supra III. thes.* diximus, quatenus ipse nos inhabitat alterum Extremum credimus, imò cum scriptura arrhabonem spiritualis conjugii intus testimoniū de hoc beneficio perhibentem fateamur. *Gerhard. P. III. Harm. p. 550.* Sed II. tantum negamus Spiritum Sanctum arcana virtute nostras mentes in cælum à nobis longè distitum evehere, & *scum substantia corporis Christi verè unione*: ratio est, quia hæc virtus nimis arcana & occulta est, adeò ut verbum revelatum eam ignoret, & Calvinus nimis iniquus in postulando, ut arcana virtus sibi concedatur, ob id quod *Spiritus Sancti Virtus emineat supra nostros sensus, & stultum sit ipsius immer sitatem modo nostro velle metiri*, non enim quæritur de posse, à quo ad esse non *V. C.* sed de velle; Velle autem illud Spiritus Sancti oportet fundamentum habere in verbo, unde enim aliàs constabit voluntas DEI, nisi forte an cum fanaticis, Weigelianis, Anabaptistis, revelationes & colloquia angelorum amplectamur? III. Nos, contrarium velle Spiritum Sanctum, probamus, *Rom. X. 6. Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in cælum? hoc est Christum ex alto deducere. Aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum ex mortuis reducere, sed quid dicit scriptura? Prope te verbum est in ore tuo & in corde tuo. Hoc est verbum illud fidei quod predicamus.* Quis hic non videt, nisi Calviniani, qui cœcutire malunt, reprehendi
à Spi-

à Spiritu Sancto eorum cogitationes, qui in coelum evagari vo-
lunt, ut ibi Christum apprehendant? cum promissio & verbum
fidei sit prope in ore & corde nostro, extra quod exhibitio rei nō
quærenda est; hic etenim est ordo, institutum & voluntas DEI,
ut per fidem recepto verbo evangelii de inhabitatione ipsum
Christum inhabitantem recipiamus, & cum Christo omnia be-
neficia, gratiam, justitiam, Spiritum Sanctum. IV. Deinde hæc
arcana virtus cum veritate Spiritus Sancti stare non potest; pro-
misit ille II. Cor. XIII. 12. fidem cessaturam in cœlo, quomodo i-
gitur fidem aut mentem in cœlum elevabit? dicit II. Cor. V. 7. *pe-
grinamur à Domino, ambulamus per fidem*: Calvinus verò ambu-
lamus in cœlo per fidem, utri major est habenda fides? V. hæc
arcana virtus Spiritus Sancti confundit unionem gratiosam
cum gloriosâ, beatitudinem spei & speciei, de hac quando loqui-
tur scriptura dicit, *nos venire ad Christum, esse cum Christo Domino*
II. Cor: V. 8. Philip. I. 23. I. Thess: IV. 17. illam quando promittit
Christum ad nos venire Job: XIV. 23. Apoc. III. 20. Item *nobiscum esse*
dicit Jos: I 5. Jud: VI. 12. Psalm: XXIII. 4. Es: XLIII. 2. Gerbard. P.
III. Harm. Evang. pag. 1600. & quamvis Calvinus Corpus Christi
ad nos penetrare ait, locorum tamen distantia quam interponit,
& hypotheses de arcanâ virtute Spiritus, quâ nihil opus esset ad
mentis elevationem, si corpus Christi ad nos verè pervenire exi-
stimaret, item Cœlum mundanum, hanc penetrationem
nugatoriam reddunt. VI. Mirum sanè quod Reformati majorem
virtutem Spiritui Sancto in elevatione mentis finitæ, cuique ad-
huc inhaeret peccatum, tribuant, quam λόγῳ in sanctissimo cor-
pore, quod in infinitam ὑπόστασιν evexit & assumpsit, quodque
in terris præsens sistere promisit, numne etiam λόγῳ, Calvine,
tantum supra omnes nostros sensus eminet; quantum Spiritus San-
cti virtus: numne etiam stultum est nostro modo velle metiri
immensitatem ὑπόστασιν hujus corporis? cur non etiam hîc
quod mens non concipit, fides concipiat, corpus Christi nobis
verè uniri, licet non actu secundo sit visibile, palpabile, locale?

XLIX. *Weigelianorum & Svenckfeldianorum* eo usque con-
fusa progressa est insania, ut cœlum terra misceant, dum *causam*
instrumentalem cum Objecto s. altero Extremo confundunt, sic
nim

enim Weigelius P. 1. Postill. p. 175. Wo wollen wir Christum suchen? Wärllich allein durch die Tauffe und Nachtmahl durch den allerheiligsten Glauben; der da ist Christus in uns wohnhafftig. P. III p. 370. Es muß ein ander glaube sein (als der natürliche) der neue Creaturen schafft / und seligmacher / nemlich Christus in uns wohnende / wirkende &c Dialog. p. 51. Christus inhabitans ist selber der glaube worden. Im vnterricht für die Einfältigen cap. 18. der Glaube ist ein Same des Weibes. R. Phrasin istam Christus est Fides, & vice versa Fides est Christus, non solum esse ἀγγελος sed etiam ἀνθρώπος: nam Scriptura ubi de fide agit accuratè distinguit eam à suo objecto, ut relatum à correlato, ut instrumentum recipiens & rem in promissione oblatam Eph. III. 17. Rom. III. 22. deinde impia & absurda infinita hanc phrasin comitantur, Fides enim est accidens; Ergo etiam Christus; Fides incrementa & decreta admittit, Ergo etiam Christus: Fides desinet in altera vitâ; Ergo etiam Christus. Sed hanc fanaticorum dementiam, præstat nuda recitatione risui exponere quam retundere. Gerhard contra Weig: doct. Cæl. Corrupt. disp: III. §. 3. Thumm: Impiet. Weig: Error: 56. Bald: disp: III. de pan. vitæ. cap: VII. §. 100. & 110. Brochm. System art: XXII. cap. 2. q. ult:

L. Ad causam materialem progredimur; sed cum actiones & reliqua accidentia materiam ex quâ, & sic materiam propriè dictam non habeant, nec Deus ut purissimus actus materiæ nomen admittat, materia vicem sustinere dicimus ex una parte Trinitatem, ex alterâ hominem justificatum, quæ licet ἁπλοῦς habito respectu ad formale hujus unionis, materiale dici queant, κατ' ἀναλογίαν Subjecti & Prædicati in logicis, Terminos seu Extrema appellare placet, uti enim subjectum & prædicatum connectuntur per copulam, sic Christus & homo per fidem.

LI. Extremum primum non est virtus aut operatio divina tantum, ut quæ homini per modum accidentis inest: sed ipsa Substantia DEI Trinunius Job: XIV. 23. Ego & Pater v. 16. Spiritus S. Eph: iii. 17. Christus I. Cor: VI. 17. Dominus: non sunt nomina operationum sed personarum, item venire, habitare, mitti in corda sunt proprietates personales; non affectiones operationum. Cum itaque personæ non differant realiter ab Essentia divinâ, quæ ut puriss.

purissimus actus nullam admittit compositionem, sequitur alterum extremum esse substantiam S.S. Trinitatis. Sed de ipsâ Essentiâ præsentia & propinquitate hodiè non dubitatur, nisi quis perniciosissimum errorem, *Deum saltem effectivè, non verò essentialiter creaturis adesse*, quem refert aliquos habuisse *Lombard. lib. III sent. distinct. 36. & 37.* interpolare conetur, verùm de ratione & modo præsentia lis movetur.

LII. *Questio est:* Num in unione s. in habitatione essentia divina per communem & generalem adessentiam tantum modò adsit, ita tamen, ut hæc substantia divinæ præsentia & *adversaria* per novum & specialem operandi modum determinetur: quæ operandi ratio sit formale præsentia gratiosæ, ut ea non in novâ substantia adessentiâ; sed in merâ illa activitate fundetur & terminetur: *An verò præter universalem Essentiâ propinquitatem, & præter peculiarem effectum gratiæ, nova & ab omnipræsentia distincta Essentiâ fiat approximatio, quæ fideliter sit definita, ut ipsissima substantia divina hac ratione, impiis vel creaturis præsens dici nequeat, et sic per novam approximationem substantiæ, etiam ratio præsentia in hac unione exprimat.*

LIII. Hic Theologi in diversas abeunt partes, quidâ prius quidâ postèrius amplectuntur: illi urgent substantia naturâ, quæ cū semel adest, eò dum adest, necessariò adest, nec potest non adesse, ideoq; venire, appropinquare secundum seipsam dici nequit, & hinc in habitationem vel gratiosam præsentiam nihil aliud esse, quam adessentiam omnibus creaturis communem, cum connotatione specialis gratiæ autumant.

LIV. Nos viros Theologos sugillare nolumus, interea sententia Lutheri & iis, qui cum ipso τὸ πρὸς ἀρτίως hic premedum statuunt, ingenuè subscribimus. Sic autem Vir DEI ad *Psal. LI. 12. Tom. III. lat. Wuseb p. 527.* Habemus, inquit, clarum testimonium Christi: *Venimus ad eum, & mansionem faciemus apud eum*; Habitat ergo verè Spiritus S. in credentibus, non per dona tantum, sed etiam quoad substantiam suam. Inde *F. C. art. III. art. 6. p. 668.* Rejicimus. Quod non Deus ipse, sed dona DEI duntaxat in credentibus habitent. *Chemnicus lib. de fund. Car.*

Cæn. cap V. Ipsa substantia Spiritus S. peculiari quodam genere præsentia voluit se columbæ conjungere & Baptistæ se ita ostendere, ut ubi columba esset, ibi rectè & verè diceretur ipsa etiam substantia spiritus sancti peculiari illo præsentia genere simul adesse, *paria habet l.c. de symbolica unione flammularum & spiritus S. in Pentecoste, cui subscribit B. Meism. l. P. Philos. Sobr. sect. I cap. V. q. 17. Hoffman. Offic. Theolog. L. XXII. §. 2. & XXVII. §. 7.* qui peculiarem præsentiam etiam in symbolica unione & manifestatione DEI asserunt. Quod si igitur in symbolica, quæ saltem fit ob manifestationem invisibilis Essentia, talis specialis Essentia præsentia locum invenit, multo magis in hac unione, ut quæ ob hominum salutem promovendam à benevola DEI voluntate ordinata est. *Tolerum nobiscum sentire* dicit D. D. *Hulsem. Brev. c. XIV. §. 1.* allegatq; locum *Job XV. 26.* *D. Gerbardus, quamvis in Exeget. L. II. §. 188.* neutri parti subscribere videatur, cui tamè sententiæ sit addictus, patet ex his *Harm. Evang. P. III. p. 599.* verbis: In omnibus divinae præsentia siue gradibus siue modis cum operatione præsentia substantialis, & cum præsentia substantiali operatio est conjuncta, & verba illa *Emphatica: Veniemus ad eum, & mansionem faciemus apud eum,* non nisi per insignem catachresin tantum per operationem aut cognitionis largitionem explicari possunt. Nec admittit illud naturæ divinae conditio, quæ cum sit infinita essentia & purissimus actus ideò non abest à sua operatione. Videatur idem *T. I. LL.*

LV. Argumentum desumptum ab *essentia immensitate* non semper procedit, nec sequitur: Quodcunq; secundum substantiam jam adest, eò dum adest, non potest ullo modo secundum substantiam iterum approximare, sed tantum concludit, Deus secundum substantiam *eo modo*, quo jam adest, non potest approximare: Essentiam autem divinam, ut Essentia, admittere talem rationem approximandi citra contractionem sui ipsius, aut citra periculum immensitatis amittendæ singularis ille præsentia modus in Christo probat, ubi natura divina naturæ humanæ finitæ ita unita est, ut hoc modo alibi non sit nec esse velit, quæ præsentia certè non per novum operandi modum determinatur, sed per intimam indistantis substantiæ
ad

ad substantiam immanentiam, & quamvis hæc præsentia sit singulariter singularis, nec eam commodè huc trahi posse quis arbitretur, tamen inficias ire nequit, quod ex hypostatica unione, non absolutè divinæ essentiæ approximationem talem repugnare, elici queat, hoc saltem si obtinebimus, cur verba de voluntate Dei restantia non in propriâ significatione accipienda sint, nullam vidimus hætenus cogentem rationem.

LVI. Idè constat quod Corpus Christi vel natura humana certè ante celebrationem Cœnæ panis est præsens, sed quis negabit corpus Christi in prima institutione discipulis exhibens panem secundum substantiam aliter fuisse præsens, quam in sumptione orali discipulorum? quis negabit hodie illud ipsum corpus etiam secundum substantiam physicam, in actione sacramentali aliter panis præsens esse, & quidem ita ut in casu recto de se invicem prædicentur, quod ante sumptionem Eucharistiæ, dictu impium foret? Si hoc voluntas instituentis præstat, cur idem nõ in unione spirituali præster voluntas promittētis?

LVII. Adde; uti se habet *pluralitas locorū* citra corporis multiplicationem, extensionem, expansionem, in quibus corpus cum pane sumitur à communicantibus, sic se habere *unitatem loci*, in quo fidelis in medio impiorum degit, citra contractionē aut periculum finitatis essentiæ divinæ, & hoc pro benevolâ voluntate Mediatoris & DEI; *hanc enim esse proximam causam modi variati substantialiter adessendi dicit D. D. Hulsemanno calculum addendo D. D. Danhaw. Hodosoph. p. 624. & seq.*

LIIIX. Cavendum tamen est, ne hanc approximationem essentiæ sub ratione hujus seculi, motu locali aut per contactum vel quovis modo naturali fieri concipias, nam mobilitatem, localem accessum & discessum à Deo removeret, & incomprehensibilem & ineffabilem adventus & abitus Trinitatis modum, adstruit B. Fulgentius lib. II. ad Thrasimund. cap. XI. p. 227. citante B. Gerardo P. III. Harm. Evang. p. 598. cui ad stipulatur S. Augustinus epist. III. ad Volusian. Novit Deus ubiq; esse totus & nullo contineri loco, novit venire non recedendo ubi erat, novit abire non deserendo ubi venerat. Miratur hoc mens humana,

E

2

& quia

& quia non capit, fortasse non credit. Plura veterum dicta vide
apud Barradium Tom. IV. lib. IV. c. 5. p. 133. lit. B.

LIX. Maximam nobis controversiam movent Calviniani
dum ab hac spirituali unione substantialē carnis Christi præ-
sentiam excludunt, eam enim à nobis longè disitam residere,
& per canalem spiritus sui in nos transfundere spirituales pro-
prietates, quibus natura nostra per peccatū spoliata est, fingūt.
Sic n. Calvin. lib. IV. Instit. cap. XVII. sect. 12. *Ipsa corporis Christi
præsentia non opus est, quo ipsius participatione fruamur, quando hoc
beneficii per spiritum suum nobis Dominus largitur, ut unum corpo-
re spiritu & animâ secum fiamus: Vinculum ergo istius conjunctionis
est spiritus Christi, cujus nexu copulamur, & quidem veluti canalis,
per quem quicquid Christus ipse & est & habet ad nos derivatur. &c.*
Substantialē propinquitatem, ut alteram partem definitivā
præsentia gratiosæ derogat humanitati Christi Job. Crocius P.
I. Convers. Pruten p. 555. noscum Christo secundum humanita-
tem substantialiter absente communionem habere asserit.
Ursinus part. II explic. Catechet quest. 55. p. 410. Christum ut ho-
minem in individua personæ unitate Ecclesiæ per universum
orbem dispersæ caput secundum substantiam & efficacem gra-
tiam illocaliter & incircumscriptivè, & proinde modo divino
& supranaturali, omnis localis inclusionis experte, præsentem
esse inficiantur. Beza supra Matth. XXII. v. 20. Piscator supra
Matth. XVIII. 20. Schol. 20. & supra Matth. XXII. observ. 18. & plu-
res alii quos citat D. D. Feurbornius in succincta Epitome Cal. Erro-
rum. Diss. XXVI.

LX. Nos constanter asserimus, ctedimus & fatemur; Jam in
N. T. (in V. enim fœdere aliam fuisse rationem monstrat D. D. Hulse-
man. in disp. de unione fidelium cum Christo ap. II. §. XVI.) ab hac
spirituali unione substantialem carnis indistantiam nullo
modo excludi posse aut debere, sed hominem fidelem cum sub-
stantia physica Christi hominis intimè copulari.

LXI. Argumentamur itaq; Jesus Christus θεὸς ὁ ὢντος promisit
Job. XIV. 23. se venturum & mansionem facturum Matt. XVIII.
in medio nostri Matth. XXII. omnibus diebus usq; ad con-
summationē seculi affuturum, Jesus Christus θεὸς ὁ ὢντος non
est

est sola Deitas sed cum Deitate caro assumpta in eandem Deitatis ὑπόστασιν; Ergo non sola Deitas se venturam mansurā &c. promisit &c. Cum *Domino* nos conglutinari dicit Paulus, *I. Cor. VI.* Ad Christum secundum utramq; naturam est Dominus Ecclesiæ, & secundum stylum Apostoli Dominus sæpissimè notat Christum, qui sibi dominium illud in carne & per carnem, acquisivit, & in & cum carne propriâ jam obtinet. Facit huc quod *Eph. III.* *Christus in cordibus nostris habitare* dicitur; at *ἡμεῖς τὸ σῶμα φέρομεν* inquit *Athanas. orat. V. contra Ariarian. p. 321.* *Job. XV.* dicitur mystica & vera vitis qui cum palmis spiritualiter conjungatur. Secundum quam naturâ Christus est vitis, secundum eam conjungitur cum fidei palmitibus. At secundum utramq; est vitis: Ergo. Et maximè secundum eam naturam, quâ hæc mystica vitis nobis palmibus consubstantialis est. Hinc *August. tract. 80.* & *Cyrellus lib. X cap. 13. in Joban.* non ipsam Deitatem *per se* sed personam Christi secundum humanitatem convenienter vitem dici volunt & *communicatione carnis in nobis habitare, cujus virtute in vitem traducti ceu palmites fructum feramus.* Evincit etiam hoc ipsum *analogia capitis & membrorum.* Ut enim primaria ratio capitis consistit in eo, ut consubstantialis sit corpori, sic requiritur maximè ἀδιαστοία quod *B. Chemnicus cap. XXIV. lib. de dual. Natur. in Christo 1. & 4. requisito capitis viventis monstrat.* Subsumit autem *Vir laudatissimus seq. cap. XXX.* Profecto, inquit, caput Ecclesiæ non est à membris avulsum vel separatum, sed ipsis conjunctissimum; Est autem Christus caput nostrum non tantum secundum divinam naturam, sed etiam secundum eam, qua membris suis cognatus & consubstantialis est. *Ravanell. Bibl. Sacr. P. I. p. 511.* Christus ἀχώριστος & arctissimè atq; adeò in perpetuum Ecclesiæ copulatus, sicut caput arctissimâ conjunctione adhæret corpori, à quo separari & divelli non potest; caput enim divulsum & separatum à corpore non est caput.

LXII. At quid lucis hinc spargit *Rivetus strenuus* Calvini usq; ad verborum apices *παράστασις*? Christus, scribit in *Cath. Orthod. tract. III. q. 25.* in coelo existens cum nobis in terrâ versantibus, quamvis ille non descendat, nec nos ascendamus, nihilominus

verâ, reali, substantiali unione conjungitur & unitur, quod in nobis habitet & nos in ipso. Vinculum verò, quo res spaciis tam disjunctæ uniuntur, est infinitus spiritus capitis nostri Jesu Christi, qui spiritus in nobis ac in illo habitans, nos conjungit, nec locorum intercapedine, cum sit infinitus, impeditur. *Et post pauca*: Non est opus ut caput pedibus vitam suam substantiamq; collaturum ad pedes descendat locumve mutet, nec ut pedes ad caput ascendant. Spiritus conjungit omnia corporis membra etiam remotissima. Hæc conjunctio dicitur nostri respectu fieri per fidem, quia per fidem in cordibus nostris operationem ac habitationem spiritus sancti sentimus. *Hæc ille*: quæ exactè conveniunt cum *Calvino* vide *Thes. 47.*

LXIII. Nolumus Adversarii incommodam & absurdâ locutionem examinare, qua dicit, quod Christus in nobis habitet & nos in ipso; quem reciprocum inhabitandi modum de nobis non asserit scriptura; nolumus attendere, quomodo Spiritum Christi qui est alterum extremum confundat cum vinculo s. *causa instrumentali*. Sed quærimus I. Si res spaciis disjunctæ uniuntur & quidem unione *verâ, reali, substantiali*, ceu appellat eâ Rivetus, num eo dum uniuntur sint & maneant disjunctæ, an conjunctæ? Si *illud*, unitæ non dicantur unione reali & substantiali. *Nam fieri non potest* inquit Scaliger Exerc. 307. sect. 16. *idem esse extrarcm & in re, separabile & conjunctum*; Si hoc sibi præsentia esse oportet extrema unionis, quia citra mutuam unitorum præsentiam nulla datur unio realis *Meisn. 1. P. Philos. Sobr. sect. 4. c. 2 q. 2. D. D. Scharff. lib. II. Metaph. Exempl. cap. 1. p. 50. & 53.* II. Localem Corporis Christi descensionem fieri, cum nobiscum unitur, nemo nostratum affirmavit unquam, plures Calvinianos ascensionem nostram per fidem virtute spiritus sancti supremum in cœlum fieri statuisse, *superius thes. 43. & 45.* evictum dedimus. III. Præter spiritum s. animam corpus humanū inhabitantē esse quoq; cū capite membrorū unionem secundum substantiam, & hæc quamvis ad singula membra nō sit immediata, uti Rivetus objicit, caput non esse ubi pedes per substantiæ propinquitatem, s. contactum nihil inde lucratur. Adversarius, sed dum hanc unionem in prædicamentum quã-
titatis

deitatis detrudere nititur, & nisi quantitativus modus quadret & se accommodare patiatur, ipsam unionem & substantiarum propinquitatem evertere studet, fallit & fallitur, quia non leve discrimen est inter unionem *integram* membrorum & capitis humani, & inter *κοινωνίαν mysticam* Capitis & fidelium quæ localem & quantitativam situationem ad quodlibet membrum non requirit, *Caput mysticum facit membrum de non membro; naturale minime: Capitis mystici membra neq; quoad esse naturæ neq; quoad esse gratiæ simul sunt; naturalis vero simul esse necesse; ut Structuram atq; compagem corporis compleant.* Ross. li in *Trism. lib. V. Comm. VIII. quest. I. cap. 3.*

LXIV. Malè proinde *Calviniani* alteram partem definitivam in hac unione scil. *κοινωνίαν* s. operationem gratiosam opponunt alteri parti ipsi scil. substantiæ præsentiae personæ operantis, quæ tamen naturâ prior operatione, uti Christus arguit *Job. III. 8.* ubi ab agitatione argumentatur ad ventis præsentiam, quæ licet simul sint, naturâ tamen ventis substantialis ad essentialia motum & agitationem ejus præcedat, necesse est. Et sicut operatio est *principium* cognoscendi à *posteriori* ipsam præsentiam *μερικῶς* sumptam, ita substantialis præsentia est fundamentum & radix operationis. Falsum est quod præsentia carnis non tam latè pateat, quam virtus & infinita potentia operandi, quæ ipsi in unione communicata est.

LXV. Unio hæc cum nihil aliud sit, quam actio divina, quâ Deus hominis substantiam sibi intimè conjungit per fidem, ut instrumentum ex parte termini uniendi requisitum; *Actio* autem *cum se suppositi* & sic non detur alia definitio hujus unionis secundum deitatem, alia secundum carnem; aut tota neganda aut tota affirmanda est de persona Christi, prius nolunt *Adversarii*, ergò posterius rati habeant necesse est, nec substantialem Deitatis & carnis *τῆς λόγος* præsentiam nobiscum statuere, ulterius tergiversentur, sicuti hæctenus sub nomine personæ Ecclesiæ solam naturam divinam & *λόγον* in terris *sine & extra carnem* obtrudere conati sunt.

LXVI. Solam energeticam præsentiam quæ sine abusione termini *præsentia* (Entis n. indistans ab alio existenti) est præsentia
tia

tia, non Effectus qui est ab Ente) non invenit locum, Christus redarguit *Matth. XVIII 26. Vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo ἐκεῖ εἰμι ἐν μέσῳ αὐτῶν*. Certe si *sum* idem est ac *operor*, bonâ cum pace Reformatorum licet dicere: Astra esse in medio nostri; Solem esse in medio terræ. Nobis proprietatis & usus sermonis favet: ubi verbum *sum* substantialem præsentiam denotat, quando de Persona dicitur & hac ratione Paulus *Phil. IV. 5.* usurpat. *Dominus*, hoc est, stylo consueto, v. 1. 2. 10. Christus, *propè est*; *propè* autem hic non notat operationem, sed secundum phrasologiam scripturæ, ubi de Deo dicitur *Jer. XXIII 23. Psalm. XXXIV. 19.* loci propinquitatem non temporis significare, observat *D. D. Danhaw. Hodosoph. p. 568.*

LXVII. Argumenta à naturæ humanæ finitate, quantitate, circumscriptione corporis, certa membrorum *συμμετρία* si dimensione aliisve corporis proprietatibus depròpta nos minùs feriunt, nisi concludant, corpori Christi non nisi merè corporalia & humana assignari debere aut posse, quod ut falsum, ita nec ipsis probatur adversariis, quando dicunt spiritualiter corpus edi posse per fidem in sacramento.

LXVIII. Nos salva manente iustâ membrorum Christi portione & finitudine corpus *verè* humanum sed non *merè* tale credimus, quod jam Dei proprium est & infinitâ gaudet hypostasi, quemadmodum autem *personalis* modus non tollit veritatem corporis; sic *spiritualis* uniendi modus ipsam non destruit, aut naturalibus suis privat proprietatibus. Neq; nos hanc unionem ab *actu naturali* naturæ assumptæ pendere contendimus, neq; *generalis* glorificationis ratione, quæ secundum *quale* non quantum eadem est cum nostrorum corporum glorificatione ipsi præsentiam in Ecclesia & unionem cum fidei competere volumus, quia sic incerto ubi est, & per *οἰκονομίαν* quibusdam sanctis *Act. XXII. 17. XXIII. v. 11.* in terris olim exhibita est, neq; *πρώτως* hanc unionis præsentiam carni Christi adscribimus, sic n. *λόγος* propria est sed *δευτέρως* per & propter privilegium unionis personalis interventu Exaltationis, quæ tamen sic accipiantur, ut si nullum expressum promissionis verbum de inhabitatione & unione haberemus, è prærogativis

ὑπο-

ὑποστάσεως carnis, hanc praesentiam firmiter adstruere haud
liceret, quia ab ipsa hypostatica unione ad probandum *actum*
officiale vel mediatorium, qualis est haec unio spiritualis capitis
& membrorum, lapidis angularis & aedificii superstructi, non
satis firma ducuntur argumenta antequam voluntas elucescat
ē promisso; Sat claras autem habemus promissiones, quod si-
mus *caro de carne* &c. quod simus *consepulti, convivificati* cum
Christo, quae communionem nostri cum Christo etiam secū-
dum carnem demonstrant, *confer. Apoc. I. 13.* ubi a membris hu-
manis describitur, qui est in medio Ecclesiae.

LXIX. Objicis; Patris Filii & Spiritus Sancti eadē est praesen-
tia, eadem inhabitatio, eademq; unio, At Patris & Spiritus S.
praesentia, inhabitatio & unio nobiscum fit secundum divini-
tatem, Ergo quoq; Filii. Resp. Ratione *modi uniuendi*, qui divinus
& supernaturalis est, convenit praesentia Personarum Trinita-
tis neq; ipsa caro Christi alio quam divino modo nobis
appropinquat & unitur; at diversa est ratio unionis Patris &
Filii ratione *Objecti s. Extremi*. Pater est simplex persona, Fi-
lius est *σύνθετος*, ideoq; Pater non nisi secundum simplicem na-
turam nobis praesens esse potest, Filius autē est composita per-
sona & sic salva compositione s. unione naturarum non potest
adesse nisi secundum utramq;. *Deinde* optimē notandum, quod
altera persona Trinitatis duplicem habeat respectum, *primò* ut
est Deus, *secundò*, ut est Mediator; ratione mediatorii officii
tribuitur haec praesentia sive unio Christo *formaliter & precisè*
neq; enim Pater vel Spiritus S. dicitur caput Ecclesiae, vitis, lapis:
angularis, sponsus, quae omnia *ὑποστάσει* nobiscum efflagitant
& hoc respectu Christus est extremum uniuendum *terminativè*;
sed priori respectu omnes tres personae *aqualiter & realiter* sibi
appropriant inhabitationem s. unionem gratiosam.

LXX. Neq; tritam moramur exceptionem, nos non loqui cū
scripturā, quando dicimus Christum *secundum carnem, secundum*
humanitatem juxta naturam humanam adesse: vel quando dici-
mus *substantia carnis* Christi conglutinatur cum fidelibus, cum
scriptura nunquam *abstractivè* loqui consueverit sed semper
concretivè Christum habitare, Domino nos agglutinari, dicat.
adeoq; non procedere Christus habitat, Ergo caro Christi habi-
tat,

cat in nobis. R. Quando nobis sermo est de praesentia carnis Christi in hac unione, & de ipsa adunitione ejus cum nostra carne, nos non loqui de carne *abstractè* citra subsistentiam, sed ita ut est pars quasi personæ quæ nobis adest; Latet anguis in herba, quando *Viri Reformati* nostram mentiuntur linguam, & dicunt Christum *λόγον* incarnatum verè nobiscum uniri, verè nobis adesse, *substantialiter, realiter* unum nobiscum fieri, semper n. cum cardinem rei explicare coguntur; Christus ipsis est Filius DEI, qui est homo, qui est in carnatus: *substantialiter realiter, fit efficaciter & secundum virtutem*, & ob id oderunt phrasas secundum carnem, Christus secundum humanitatem, quas nostrates adhibent, in explicando Objecto s. Extremo quod nobiscum unitur. Recte quidem dicitur *Filius DEI, qui est homo*, fit unum nobiscum per fidem; sed insufficienter, nisi rectè intelligatur, ut etiam hic sensus emergat, *Filius DEI ut & quæ est homo &c.*

LXXI. Notatu dignum est Theorema B Menzeri Tom V. Gieß. *disp. VI. §. 32. & disp. VII. §. 15. Ubiunq; de existentia & gratiosa praesentia Christi scriptura loquitur juxta utramq; naturam accipiendum est.* Ratio est, quia praesentia *πρωτως* primario & per se competit toti composito; quod autem in affectionibus & operationibus secus se res habeat, nec hæc consequentia obtineat: *Christus moritur*; Ergo *secundum utramq; moritur naturam*; inde fit, quod mori sit quidem affectio personæ sed non ratione utriusq; naturæ, quia per se & primario competit naturæ assumptæ, *δευτερω* prædicatur itaq; de persona hæc affectio. Contra optima sequela est, quando à praesentia totius ad partium adessentiam fit collectio, infallibiliter concludit: *Totus homo adest*; Ergo etiam *anima & corpus, Corpus adest*; Ergo etiam *cor, brachium, pedes, adsunt*, partes etenim *per se & à se in quantum* partes non locantur; sed *per accidens & cum toto*, cujus spatium *unicum* ubi dicitur, in quo etiam partes simul coexistunt, non obstante distinctà, & diversa situatione partium inter sese, qua singulæ suum particulare ubi retinent. B. Meisn. I. P. Philos. Sobr. sect. I. cap. VI. q. 5. sect. IV. cap. II q. 2. Nec sufficit, quod partes sibi invicem sint praesentes *intrinsicè*, verum etiam ut *extrinsicè* adsint in illo ubi.

ubi totius, ita ut ubi una pars existat etiam altera, alias n. ratio
partis expirat & unio partium perit, neq; liquet nobis, quomo-
do totum possit dici praesens nobis in aliquo ubi, ita ut non in
eodem ubi sint omnes partes totius nobis praesentes. Jam cum
naturae in Christo, licet ille neq; essentielle neq; integrale totum
sit, se habeant *instar partium*, nec persona sit aliquid reale tertium,
ab his naturis, sequitur *ὑφίσταμενον* nullibi adesse ubi non
una sint naturae constituentes, sicuti nullibi homo est, ubi non
sit anima & corpus.

LXXII. Maximè carnis Christi praesentia substantialis stabi-
latur ex eo, quod haec unio sit actio s. *ἀποτέλεσμα* officii, quod
utramq; complectitur naturam, quod sic probamus: Aut haec unio
spiritualis Christi cum fidei est naturale Deitatis attributum; aut
est propria affectio & effectum humanitatis; aut est actio perti-
nens ad officium Christi. Non primum, quia cum natura divina
non recipitur, non secundum, quod nobis ambabus largiun-
tur manibus Adversarii; Ergo tertium, quod tritus Canon Chal-
cedonensis Concilii ad utramq; refert naturam, quae hic com-
municativè concurrat.

LXXIII. *Et quid Christus ut homo ab Ecclesia in terris militante ab-
sit? annon congregamur in terris in ipsius DEI & hominis nomine? an-
non ipse congregatis in suo nomine, suam praesentiam, quae non est mera
actio clementer promisit? Nonne in ipsius nomen & mortem baptiza-
mur?* sunt verba D.D. Feurbornii in *succincta Epit. Err. Calvin. disp.*
XXIV. quest. 10.

LXXIV. Porro. *Qualis unio in sacramento obsignatur & con-
firmatur, quamvis peculiari & sacramentali modo, talis est quae
in Evangelio promittitur, verum non tantum divinae sed hu-
manae, quod haec hominis rationem maxime offendit, naturae
substantialis propinquitas & indistantia confirmatur in usu
coenae, Ergo talis est quae promittitur in Evangelio, & per fidem
accipitur, substantialis sc. carnis Christi praesentia & communio.*

LXXV. Plura afferre nolumus. Quomodo haec unio non dif-
ferat à gloriosa ratione *Objecti* sc. Christi sed ratione *medii* &
graduum cognoscendi Deum & participandi uberiores gratias
inhabitationis; vide *Exeg. B. Gerhardi L. II. §. 187.* qui praesentem

habuit. S. August. tract. 75. in Job. Si etiam nunc Christus in nobis non esset, non diceret Apostolus Rom. VIII. 10. Si autem Christus in nobis &c. Quia verò & nos etiam in illo nunc sumus facti ostendit ubi dicit: *Ego sum vitis vos palmites*. In illo ergo die perficietur &c. vid. thes. I. hujus cap. Quomodo ὁ λόγος ἐνσαρκος jam non ulterius immediatè sed mediatè, in carne, cum carne & per carnem spiritualem vitam nobis communicet, & quomodo non tantum Deitati; sed etiam humanitati ipsius per spiritualem manducationem jungamur & quasi incorporemur. vide cum testimoniis Augustini & Cyrilli in Harm. Evang. P. III. laudatissimi Gerhardi pag 708. & 709. cap. CLXXVII. Qualem antiquitatis consensum B. Chemnitius conscripsit vide in lib. de duob. Nat. in Christ. cap. XXX. Quid veritatis luce præventus Calvinus dixerit, qualesq; formulas ipsi veritas Evangelii extorserit, quæ cū falsis ipsius hypothesebus consistere nequeunt, notavit Dominus Pfeiffius cit: Dissert. p. 40. Concludimus itaq; hoc membrum gravissimis Chemnitii verbis lib. II. Nat. in Christ. cap. 31. Christus ipse ad nos venit, Ecclesiæ suæ totus adest, & tanquam caput membris suis in terra militantibus se conjungit in illa, cū illa & per illam naturam, quâ frater noster, cognatus & consubstantialis est nobis, ut hoc modo ad communionem & confortium divinæ naturæ nos perducatur.

LXXVI. Alterum in hac unione extremum est homo totus secundū animā & corpus B. Gerhard. P. III. Harm. Evang. p. 550. uti n. non sola deitas λόγος sed etiam caro ipsius materiale hujus unionis ingreditur; sic ab alterâ parte non sola anima, sed etiā corpora nostra hoc gaudent beneficio, neq; aliter ad resurrectionem gloriosam traduci poterant, nisi cum naturalis vitæ corpore conjungerentur, juxta verba Servatoris. *Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, habet vitam eternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.*

LXXVII. Et ob id scriptura sæpius loquitur de toto supposito: Job. XIV. 23. Qui me diligit, illum diliget Pater: Quem Pater diligit ad EUM veniemus: Pater autem non diligit dimidiū hominem, sed animā & corpus. Job. XVII. 20. 21. Rogo ut qui credituri sunt in me I. Cor. III. 16. An nescitis vos esse templum DEI.
Rom.

R. m. VIII. 10. Si Christus in nobis: nominatim Corpus exprimit, *I. Cor. VI. 15.* An ignoratis corpora vestra esse membra Christi *Eph. V. 30.* Membra sumus corporis ejus ex carne ejus & ossibus ejus. Argumentor: Secundum quod sumus membra Christi ex carne & ossibus ejus, secundum illud unimur cum Christo, Atqui secundum corpus sumus membra &c. Ergo secundum corpus nostrum etiam unimur.

LXXIIX. Hic Weigeliani impingunt enormiter: dum nō hęc nostra corpora, quę Adamo ὁμοῶσα cum Christi corpore uniri posse clamitant, sed oportere hęc aboleri in regeneratione & essentialiter transmutari in corpus Christi non illud terrestre, quod crucifixum, sed cœleste quod è cœlo esse garriunt fanatici. Verba *Weigelii* citantur à *Balduino d. disp. S. 91. & seq.* Nos unicum opponimus impietati argumentum: Quodcunq; à Christo in cruce redemptum est illud cum Christo unitur. Atq; non sola anima, sed corpus Adamo consubstantiale redemptū est. Ergo: Reliqua responsione indigna sunt.

LXXIX. Hominem autem cum dicimus secundum animam & corpus esse terminum uniendum, non omnem, sed fidelem & justificatum intelligimus; sic n. Paulus *Rom. VIII. 1.* ab unione nostrā ad justificationem colligit: *Qui nunc sunt in Christo, in iis nihil condemnationis est.* D. D. *Hulsemannus* ut proximum & adæquatum Extremum exprimeret, *unionem justificatorum* inscripsit *cap. XIV. Brev. & F. C. art. III. p. 695. Inhabitatio DEI sequitur antecedentem fidei justiciam* inquit.

XXC. Hęc accuratè notanda veniunt, non solum ut cognoscamus, quo ordine habendum sit beneficium unionis, ne hoc ad regenerationem *strictè* dictam, neq; ad justificationem, sed ad consequens justificationis, & ad renovationem ut principium renovationis in strictā acceptione sumptæ referamus; sed etiam ut *Weigelianismū* effugiamus, nec *Osiandriismū* recoquamus.

XXCI. In angustum cogunt *Contra-Remonstrantes* hoc Extremum, cum hanc unionem ad solos electos restringunt; inter plures unum citamus *Wendelinum lib. 1 Theol. Christ. cap. XXIV. thes. VIII. explic. 1 & 2.* qui pro faciliori victoriā & erroris stabilitamento apprimē fidē *αποστολικήν* cum hypocritarum fide novit confundere. Nos I. adversus eum argumentamur: *Quousq; vera*

fides se extendit ut causa proxima & sufficiens unionis gratiosa, eo usq;
patet ipsa unio; Atqui vera fides se extendit non ad electos tantum,
sed etiam ad *προσκαίεργς*. Ergò. Major est Apostoli *Eph. III. 17.* i-
psius Christi *Job. VI. 56. c. XVII. v. 20. & 23.* Minor patet *Matth.*
XIII. Ubi veræ fidei proprietates *προσκαίεργς* tribuuntur, &
quidem 1. accipere sermonem *h. e.* assentiri 2. Gaudium, quo
afficiuntur corda illorum 3. credere Evangelio, hæc phrasia au-
tē in scripturis æquipollet fidei salvificæ s. τὸ credere in Chri-
stum *Marc. I. 15.* 4. Fidei professio, quæ eos persecutionibus ob-
jicit. Quæ omnia manifestè probant, *προσκαίεργς* fidem nō spe-
cie ab electorum, sed saltem *duratione*, quæ nihil ad Essentiam
fidei facit, differre, adeoq; ob specificam fidei identitatē *προσ-
καίεργς* vera esse membra Christi, veritate *essentie*, licet non *per-
manentia*. Et si fides illorum non fiat vera & salvifica, cur quæso
hoc unum illis vitio datur à Christo, & illorum saluti officit,
quod ab hac fide deficient tempore tentationis? aut quid de-
trimenti saluti eorum accederet ex eo, quod desciscant à fide,
quæ non fuit salvifica? *Acta Synod. Dordrecht. in defens. Remonstr.*
Art. V. de Persever. p. 231. & seq. II. Nec ipsi *Wendelinus* diffitetur
preced. thes. IV. expl. I. temporariam fidem eo usq; progredi, ut di-
cantur *προσκαίεργς* inter reliqua etiam participes fieri, Spiritus
sancti, *Hebr. VI. 4.* Argumentor itaq; *Quicumq; sit particeps Spiri-
tus Sancti, ille est verum membrum Christi, προσκαίεργς participes fiunt
spiritus sancti.* Ergò. Major constat *Rom. VIII. v. 9.* *Qui spiritum
Christi non habet, non est ejus. & seq. 10. v.* ab inhabitatione Spiritus
fit collectio ad inhabitationem Christi. *Confer. I. Job. III. 24. c.*
IV. 13. Minor & scripturæ *l. c.* & admittitur ab Adversario, con-
clusio igitur firmo stabit talo. Adde III, hypothesein *Calvini Ri-
veti* & ferè omnium Calvinianorum: Quod spiritus sanctus sit
vinculum unionis, imò quod sit *formale* ejusdem. Videat igitur
Wendelinus, quomodo *προσκαίεργς* unionem denegare que-
at, quibus *vinculum & formale* ejusdem largitur.

XXCII. Mirum sanè quâ fronte ille Senior negare audeat, il-
los qui *Rom. XI. 17.* excisi & defracti dicuntur, fuisse veros oleæ
ramos, sed *κατὰ δόξαν*; cum verbum *ἐκκαίεργς* vi præpositio-
nis *ἐκ* reclamet, notante *Tarnovio Exerc. bibl. Lib. IV. de persev. §. 29.*
refecari, defringi ut privationes utiq; præsupponunt habitum,

nec

nec unquā amē vite palmes excidi potest, nisi antea fuerit in vi-
te; aut quomodo arescet, qui antea vivum succum non habuit?
vel cur palmitis nomen sustinebit, qui nunquam viti adhæsit?
Uti igitur herba è terra petrosa subito prorumpens & protinus
ob ardorem solis arescens, tam verè est herba quam quæ matu-
rescit; & infans biduus tam verè vivit quem adultus XX. anno-
rum; ita qui hodie renascitur & justificatur, etiamsi cras exci-
dat tam verè licet non tam arctè, est membrum Christi, quam in
ante octoginta annos renatus fuit, etiamsi ponatur, quod sine
interruptione temporis *continuo & equaliter* sine imminutione
gradus fidei & pietatis in hac unione cū Christo perseveraverit.

XXCIII. Sed *formale* Unionis nostræ progrediemur. Hoc cer-
tè ab aliis discere, quàm ipsi definire malumus; ne tamen hoc
membrū planè omisisse videamur, dicamus 1. *quid non sit*, 2. *qui-*
bis. vocibus scriptura formale. exprimere soleat.

XXCIV. Consistit autem illud formale non in *insitione*, quæ
arboribus frequens; non *juncturâ*, qualis in naviū tabulis; nō
constrictione, uti fasciculus virgarum cohæret; non *implicatione*,
sicuti fila longiora aut pili implicantur; non *glutine*, sicuti par-
tes mensæ & chartæ uniantur; non *appositione*, uti acervus lapi-
dū; non *confusione*, ut pulvis aromaticus; nō *mixture*, uti ex mel-
le & aquâ mulsum confit; nō *assistentiâ*, uti Angelus Petro in
carcere adstitit: vel ullo alio modo *accidentali*, qui refertur à B.
Jac. Mart part. Met. L. I. sect. III. p. 116 Neq; mirū est, quod in Philo-
sophia nullus extet modus, qui huic unioni quadret, quia Viri
sapientes omnes unionū species ex solis rebus naturalibus per
inductionem earum eruere necesse habuerunt, unio autem no-
stra mysterium magnum est.

XXCV. Neq; *consustantialitas* Christi nobiscū formale exprimit
spiritualis unionis, quāvis fundamentū invenit in eā, ceu *Irenæus*
lib. IV. c. 37 loquitur: *Verbū Dei in novissimis temporibus homo in ho-*
minibus factus est, ut finem conjungeret principio. h. e. hominem DEO.
Hoc beneficiū enim, quæ ejusdē nobiscum naturæ Christus, est
omnibus commune, spiritualis unio verò est prærogativa fide-
liū. Quare errat *Ravanellus p. 2. Bibl. Sac. p. 211.* dum locū *Eph. V.* quo
dicimur: *caro de carne Christi &c.* de sola cōsanguinitate & pro-
pinqvitate generis explicat, cū ipse *Calvinus lib. IV. Inst. cap. XVII.*
num. 9. ut *splendidius elogiū* unionis nostræ eū alleget. XXCVI.

XXCVI. Multò minus in *essentiali participatione* essentiae nostrae de divinà, aut *conversione* Deitatis; aut *transfusione* in nostram substantiam collocamus modum. *κωωνία θείας φύσεως* quam Petrus regeneratis II Epist. 1.4. tribuit denotat inhabitationem gratiosam, cujus virtute è domini opavaru cupiditatu mundi & corruptione elabimur & eluctamur, ut analogia quaedam puritatis & sanctitatis inter Deum & nos inveniatur. Dn. D. Hulsem. Brev. c. III. §. 20. c. XIV. suppl. §. 2.

XXCVII. Nec in *reconciliatione* locanda erit forma, quia etià hoc beneficium omnibus hominibus commune, unio verò fidelium propria Gerhard. P. III Harm: Evang. p. 551.

XXCVIII. Neq; *integralis* unio hic locum invenit, quamvis analogicè Christus caput & fidelis membrum, item vitis & palmes, lapis angularis & lapis vivus dicantur: Unio enim *integralis* est *proprie* inter partes *quantitativas* & ob id meritò hic exulat, quia nec divina natura, ut simplicissima, est partiu capax, nec humana Christi natura *quantitativa* ratione praesens est in hac unione. Adde quod palmes & vitis sint *una essentia continua* & ex partium situatione & quantitatis naturam una pars proximior sit viti quam altera, quae citra impietatem ad unionem nostram accommodari non possunt.

XXCIX. Neq; est *sacramentalis communio*, quae fit per visibilia media: *Ibi* enim extremum participans substantiam sacramenti latius se extendit, quam *hic*, dū *ibi* indigni & increduli, *hic* soli fideles uniuntur: *ibi* communio consistit in actu transitorio; *hic* in permanente: *ibi* absolvitur duobus diversis actibus mādicatione & bibitione; *hic* uno fiducialis apprehensionis actu: *ibi* solū corpus seorsim & solus sanguis Christi seorsim cōmunicantur, plus enim non promittitur in verbis institutionis, quod ipsam sacramenti essentiam attinet; *hic* totus Christus & totū Christi cū omnibus beneficiis nobiscū unitur. *Illa* unio pendet in totū à fide s. veritate instituentis; *haec* ex fide recipientis: *Illa* fit à sacramento; *haec* nō à cœnā, licet in & per cœnā quoque credentibus obtingat, estq; communis etiā baptismo & ministerio verbi: *Illa* quamvis ex intentione DEI debebat esse salutaris, & actu primo talis sit, non tamen semper actu secundo salutē confert; *haec* semper talis. *Addimus*, quod, quando haec unio inter Christum & fidelem

delem existit in ipso usu sacramenti, non fiat proximè per sacramentalem manducationem, quippe hæc etiam infidelibus competit, sed immediatè per spiritualem manducationem, quæ tum demùm conjungitur cū sacramentali, oportet igitur *illam* aliam esse, quam *hanc*, tum *specie*, tum *modo*.

XC Neq; *formale* suū sortitur in *universalī præsentiā* Christi: *Hoffmannus* etenim, qui strenuè adversus *D. Jacob. Andrea* omnipræsentiā negavit. *Offic. Theol. art. XXVII. tb. VII.* asserit spirituale unionem fidelium facere Christum corporaliter (*secundū corpus*) in iisdem habitare. *Thes. XVII. p. 871.* disserit, quod hæc unio ob emphaticas phrasas, quibus describitur, *necessariò* poscat extremorum ἀφῆν & contactum mysticum, *realem* tamen, quo cessante ipsa unio dissolvatur.

XCI A Personali unione etiam multis modis, imo toto genere differt nostra unio. Et quidem 1. *Extremis*; Ibi natura divina propriā filii personalitate subsistens *formaliter* & *terminativè* singularem humanam naturam *κεχωρισμένην ἀπὸ τῶν ἀμαρτωλῶν* *Hebr. VII. 26.* ἀνυπόστατον tamen assumpsit; *Hic* omnes tres personæ, & nominatim λόγος & σύνθετος cū pluribus hominibus ἰδιοσυστάτοις, sed non ἀναμαρτήτοις uniuntur. 2. *Modo*; *Illius* fuit mirabiliter singularis, & singulariter mirabilis, ut ne *genericus* *modus* vel *genus* remorum in Schola Philosophorū reperiat; *Hujus* quidem etiā mysticus & incomprehensibilis est, attamen quadantenus ad *Accidentalem* κατ' ἀναλογίαν referri potest. 3. *Formali*; *Illius* consistit in hoc, quod λόγος ὑπέστασις humanitatem singularem primā suā ac intimā personali perfectione terminavit & complevit, & in *esse hypostatico* constituit, ac intimè permeavit; *Huius*, dū commodius monstrabitur, cum scripturā *Job. VI. 56. c. XIV. 20. Rom. VIII. v. 10. II. Cor. XIII. 5. Rom. VIII. 1. II. Cor. V. 17.* arbitramur consistere in mutua inessentiā mysticā Christi & fidelis hominis, quæ inessentia tamen non utrinq; *activè*, sed ex parte solius Christi per gratiam inhabitantis accipit oportet. 4. *Terminis*; A *Quo*; *Illius* fuit secundū nostrū concipiendi modū ἀνυπόστασια carnis; *Hujus* in irrogenitis *negatio*; in renatis lapsus *privatio* gratiosæ inessentiæ, quā fideles aliās fuere in ipso per gratiam recipiendo, ille in ipsis cum largiendo. *Ad Quē*; *Illius* fuit persona σύνθετος, seu unū personale; *Hujus* unū mysti

mysticum s. spirituale. Per quem vel in quo Extrema conveniunt; Illius fuit *ἡνωσις*; Hujus *ἐνοπιοὶὸν συνδεσμοὶν* seu nexum quamvis ex genere accidentium sit, quis & quid autem sit nos ignorare ingenue fatemur, & sanctam hanc ignorantiam ipsa mysterii magni sublimitas efflagitat: Fides certè, licet organon sufficiens sit, utriq; Extremo per benevolam Dei ordinationem certus & definitus prop nequitatis nexus uti Dominus D. Hulssem. Cap. XIV. suppl. §. 1. Brev. loquitur esse nequit, quia credere non prædicatur de Christo, ut subsistere de carne; nec Christus dicitur credere in nobis, vel cum nobis, uti dicitur esse in nobis & nobiscum uniri. Quid igitur illud est, in quo Christus & homo fidelis conveniunt ut in termino communi, ob quem proximè unum dicuntur? *Mysterium magnum* est respondet Apostolus Eph. V. v. ult. §. *Gradu*; Illa non admittit vel incrementa vel decrementa; Hæc habet suos gradus, & pro augmento fidei modò arctior modò infirmior est: 6. *Ordine*; Illa est fundamentum & causa hujus, si non quoad existentiam tamen quoad efficientiam, & in decreto divino est prior hæc spirituali. 7. *Relatione*; Illa præcisè considerata nullam ad creaturas infert *ἕξω* & sublatis omnibus, per abstractionem mentis tantum, salva manet; hæc ad fideles progrediens est *ἕξω* Dn. D. Feurborn. Fasc. I. disp. III. th. 29. 8. *Consequentia communicatione*: ibi idiomata infinita & increata realiter carni communicantur, non ut *subjectivè* inhæreant, sed ut ob personæ identitatem carni sint communia; Hæc Sanctis finita dona conferuntur, ut *subjectivè* & *habitualmente* ipsis insint, quæ tamen toto genere differunt à proprietatibus essentialibus divinis. 9. *Deniq;* diversissimas gignunt prædicationes; Illa personales, hæc accidentales & eas vel causales; ut, *vivir in me Christus*, vel metonymicas; ut, *Christus, potatur, visitatur, persecutionem patitur*, quæ κατὰ ἀνάφοραν de Persona Christi dicuntur: Longè enim alia est prædicatio, *Dominus gloria est crucifixus*: quam hæc; *Saul Saul quid persequeris me?* Illa est realis, hæc metonymica.

XCII. Egregiè diversitatem appropriationis, personalis & spiritualis explicat August. in præfat. Psalm. CXLII. Qui dignatus est, inquit, pro nobis mori, nos membra sua fecit. Aliquando itaq; ex personâ membrorum suorum loquitur; aliquando ex personâ suâ, tamen

quam

quam capitis nostri. Apostolus dicit; ut suppleam quæ desunt pressurarum Christi in carne meâ: ut suppleam, inquit, quæ desunt pressurarum, non mearum; sed Christi, in carne, non jam Christi; sed meâ. Patitur, inquit, adhuc Christus pressuram, non in carne sua, in qua ascendit in cælum; sed in carne meâ, quæ adhuc laborat in terrâ. Sed has diversitatis rationes annotasse sufficiat. Analogiam huius spiritualis & personalis Unionis & communicationis consignaverunt B. Gerhard. Harm: Ev. P. III pag. 552. 55 seq. Exeg. L. O. IV. §. 129. 200. 281. 292. B. Balduinus c. d. §. 42. usq. 45. B. Thomm. Impiet. Weig. Err. LXI. p. 146. 147. D. Henricus Varenus in Apol. pro. Arno. d. ep. 420. Pfeff. Dissert. 2. 24. 25.

XCVIII Veram, realem, propriam & arctissimam esse hanc unionem præeunte scripturâ credimus, & hoc evincunt loquendi formulæ quibus describitur hæc unio. Job. XVII. 21. Christus utitur phrasi esse in aliquo, quæ realem rei quæ inesse dicitur infert præsentiam, non idealem qualem conceptus formalis seculi fert, seu quâ cognitum est in cognoscente, nec metaphoricam, quâ amans est in amato, patet hoc (1) quia nullum allegoriarum, sicuti Job. XV. 5. seq. neq; metaphorarum, uti Job. VI. 56. bibendi & manducandi voces adhibentur, vestigium in contextu apparet, ob quod esse in iis qui crediderunt, non propriam significationem teneat, licet inessendi modus non sit depromptus ex octo illis, quos recenset Philosoph. h. 4. Physic. cap. III. sed mysticus & supernaturalis, (2) κλίμαξ seu Gradatio quâ hic Christus in sua oratione utitur, innuit unionem spirituales qua ipse v. 23. in credentibus, arctiorem esse, quàm quâ fideles v. 21. in DEO, per communionem Spiritus Gerhard. P. III. Harm: Evang. p. 1574. unum sunt, item q; modo & formâ differre ab eâ, quæ describitur v. 22. ubi fideles inter sese ob unitatem fidei, charitatis, spei, unum dicuntur, superadditur enim amplificatio consummationis, quam explicat verbis: Ego in eis & tu in me, ut sint consummati in unum: quæ credentibus ex hac unione, accedit. Promissam autem hanc consummationem fieri in hæc, non in alterâ vitâ, inde probatur, quia Christus versatur in petitione beneficii credentibus jam conferendi & gloriam æternam v. 24. dari rogat, & uti hanc gloriosâ unionem v. 24. contradistinguit gratioso v. 23. sic gratiosâ ut sublimius beneficium discrimi-

nat à v. 22. morali fidelium inter se conjunctione. (3.) Funda-
mentum comparationis, *essentialis* Patris & Filii & *spiritualis*
Christi & nostri unionis, quod hoc loco ponitur *Esse in alio* cor-
rueret, si verba; *Ego in eis*; de unione morali concordiae, affectu-
um, vel de sola operatione explicetur. (4) Adde *v. ult.* ubi expres-
sè unio dilectionis & unio Christi cum fidelibus sibi contradic-
tinguuntur.

XCIV. Eadem est ratio, quando per *mutuam* Extremorum
immanentiam modus unionis describitur *Job. VI. 56. Job. XV. 4.* quã
phrasin *B. Balduinus disp. cit. & Thumm. impiet. Weig. Err. 61. p. 146.*
in definitione ad explicandum formale retinent. Ubi tamen
monendum est, quod immanentiam ibi accipiant pro *actu ipso*
completo Christi, quo se nobiscum conjungit, non cum conno-
tatione *durationis*, quæ nihil facit ad essentiam unionis, quam-
vis verbum *μένειν* primo intuitu continuationem subinferre
videatur, & sic *II. Cor. IX. 9. II. Tim. III. 14.* accipiatur.

XCV. Hanc reciprocam inessentiam s. immanentiam tamen,
uti eam Salvator immediatè asseruit, in utroq; Extremo non
æqualiter se habere dicimus; quando enim ex nostrâ parte cõ-
sideratur, scriptura eam vocat *insitionem*, ex parte DEI vel Chri-
sti *Inhabitationem* *Gerhard P. III. Harm. Evangel. p. 755.* Qui
sunt, ait, in Christo & manent in eo *per insitionem*; in illis est &
manet Christus *per inhabitationem gratiosam*. Aliã ratione nos
manemus in Christo, & vicissim aliã Christus manet in nobis.
Nam nos manemus in Christo per veram & efficacem fidẽ, Chri-
stus in nobis manet, per vitæ spiritualis communicationẽ, per
specialem dilectionem &c. *confer pag. 743* nos manemus in
Christo *λησθησώμεν*, Christus in nobis manet *δωτησώμεν*; nos mane-
mus in ipso recipiendo, ipse in nobis manet conferendo. Idem
dicit *Augustinus tract. 81. in Job.* Non eo modo illi in ipso, si. ut ipse
in illis: *utrumq; autem prodest non ipsi, sed illis* Ita quippe in vite sunt
palmites, ut viti non conferant, sed inde accipiant unde vivant; Ita
verò vitis est in palmitibus, ut vitale alimentum subministret eis, non
sumat ab eis. Ac per hoc & manentem in se habere Christum, & ma-
nere in Christo discipulis prodest utrumq; non Christo Nam preciso
palmitate potest de vivã radice alius pullulare; qui autem precisus est,
sine radice non potest vivere.

XCVI.

XCVI. Hinc patere existimamus, quod *inessentia, immanentia* & ipsa unio reciproca & mutua quidem sit juxta stylum bibli-
cū; *Institio* tamen, & *inhabitatio* non patiantur reciprocationem:
ne apex quidem extat quod Christus nobis inferatur, vel nos
in Christo habitemus per fidem; itaq; *immanentia* & *mutua*
unio restringitur & limitatur per *inhabitationem* ad Christū,
per *institiōem* ad fideles; *inhabitatio* enim exprimit simul do-
minium regimen & *activitatem* inhabitantis; *Institio* verò *rece-*
ptivitatem influxus vivifici connotat; Utraq; substantialium ex-
tremorum unitorum propinquitatem supponit. Cur vero ex
mutuâ hac & reali immanentia s. inessentiâ Christi personæ
nihil accedat, uti fidei, ratio est *inequalis condicio Extremorum*;
Christo, sedenti ad dextram DEI nulla potest superaddi perfe-
ctio, homo a. fidelis per hanc unionem perficitur. Cur etiam
institio tantum Mediatorem respiciat; *inhabitatio* verò omni-
bus tribus personis tribuatur *II. Cor. VI. 26. Job. XIV. 23. I. Cor.*
III. 16. ratio hæc reddi potest, quia divina natura non est mediū,
quo se nobis communicat Deus in *institiōe*; Sed nos *proximè*
ab humana Christi naturâ accipimus vitalem succum, nam Pa-
ter vivificat nos per filium; filius in carne, cum carne & per
carnem suam vivificam nobiscum agit, & Spiritum sanctum
mittit; Et quia Christus carnem adhibet quando in officio sal-
vationis operatur; ideoq; ipsis ut est olea & caput cui furculi &
membra inferuntur & incorporantur, *institio terminativè* tri-
bitur: *inhabitatio* autem cum non requirat inhabitantis & ha-
bitaculi *ὄμοστικῶν* omnibus Trinitatis personis competit. *Sed*
hæc obiter.

XCVII. Dn. D. Hulfemannus causam formalem i. ponit in *συν-*
δουῶν res substantiarum Christi & fidelis 2. *affectionum* Brev. cap.
XIV. §. III. De affectionum consensu cum hodie his non movea-
tur, substantialis extremorum propinquitas demonstranda e-
rit. Nititur hæc expressa promissione *Job VI 56.* Certè si *manendi*
phrasis *impropriam* hic sustinet *significationem*, nulla apparet
ratio peculiaris, ob quam murmurarent discipuli, & aliqui re-
trorsum abirent, ob duritiem hujus sermonis; Nam nō solum
indignati sunt ob *commestionis*, sed etiam ob propositum mu-
tuò *immanendi* modum, qui describebatur per phrasen *manere in*
Christo.

Christo, vivere per Christum, &c. Job, XIV. 23. Veniemus ad eum & mansionem faciemus: quod dictum non nisi per insignem catachresin tantum de operatiōe, vel cognitionis largitione, vel dilectione intelligi & explicari posse asserit Gerbard. adversus Calvinianos Harm. Evang. P. III. p. 599.

XCIX. *Eph. III. 17. κατοικῆσαι* Habitare Christus dicitur, quæ vox in propria significatione substantialem propinquitatem habitantis ad habitaculum evincit, quod *ἵτι* norunt, dum duo conjunctim requirunt, unde constet aliquem domicilium habitationis alicubi constituisse; *Actualis* sc. *habitatio*, & *animus permanendi, nisi quid avocet*, Donell. *comm. lib. 17. c. 12. arg. l. VII. C. de incol.* non possessio unius vel plurium domorum facit domicilium, sed actualis præsentia habitationis. Hanc actua-
lem suam præsentiam declaravit Deus *expressis verbis Levit. XXVI. 12. II. Cor. VI. 6. Habitabo in eis & inambulabo* Confer *Psal. 76. v. 3. Ps. 132. 13. 14. Esa. XXXI. v. 9. deinde factis & operibus Gal. II. 20. Vivere in nobis dicitur*, imò Christus maximam bonorum partem Spiritum, Filiationem, Justiciam, ipsam deniq; hæreditatem domicilio communicavit. Peccat igitur *Ravanellus p. I. Bibl. Sacr.* dum vocabulū *habitare* hoc loco *improprietas* arguit, quasi omnia verba, quando spiritalia significant beneficia, vel opera, eò fortiantur improprietas: cur non etiam generationem quando de Patre dicitur, improprietatem facit: *nimirum*, quod superat captum Reformatorum statim est improprium.

XCIX. Evincunt hanc substantiarum copulationem *tertia comparatorum, Eph. V. I. Cor. VI.* in quibus conveniunt unio hæc Christi cum fidelibus, & unio Adami & Evæ; item *scorti & scortatoris*. Argumentum erit tale. *Uti conjunguntur Adam & Eva, scortum & scortator; ita conjunguntur fideles cum Christo.* Atqui illi non per solum consensum & mutuam charitatem, sed etiam per substantie ad substantiam propinquitatem *conjunguntur. Ergo.* Major patet in textibus *I. Cor. VI. 17. Eph. V. 31. ult.* Minorem qui negat, Apostolo contradicit, qui expressè in *protasi* loquitur de copulatione substantiarum, cui *apodosis* respondeat necesse est, nisi illatio apostolica risui sit exponenda; quid n. *εἶναι ἐν σώμα, εἶναι εἰς σὰρκα, μίαν* aliud sibi vo-
lun-

lunt, quam conglutinationem duarum substantiarum, non voluntatum tantum. Imprimis notetur *emphasis* verbi *κολληόμεναι* firmissimo & tenacissimo glutine adbareo quod idem est cum composito *προσκολλάομαι*, notante Pasore. Lex: p. 404. quo *Matthæus c. XIX. 5* & *Marcus c. X. v. 7.* in describenda arctissimâ *συνζυγία* conjugum utuntur. & æquipollet *פֶּקַד* Genes. II. 24. Modum mediâq; unionis variari & hinc nullum carnalem, localem & circumscriptivum modum sequi nemo non videt.

C. Plura, quæ pro substantiarum ad invicem propinquitate militant non adducimus, antequam autem hinc abeamus, monemus quod licet personalis unio toto genere differat ab hac spirituali in eo tamen convenient, quod Extrema utrobiqu; sint substantiæ quamobrem, scriptura eadem verba adhibet in utriusq; descriptione *Eph III. 17. κατοικεῖν* Confer. cum *Colos. II. 9. Hebr. II. 14 μετέχειν* Confer. cum *cap. III. 14. Coloss. II. 6 παραλαμβάνειν* cum *Hebr. II. v. 16. ἐπιλαμβάνειν. Job. XIV. & XVII. Christus dicitur esse in nobis. II. Cor. V. 19. Deus erat in Christo.* quæ certè veram, realem & substantiarum unionem utrobiqu; involvant necesse est, nisi ex contextu metaphoricæ locutio probetur quam nemo solidè in ullo l. c. probabit.

CI. In hanc substantialem Extremorum propinquitatem impingunt, I. *Weigeliani, Strifeliani* & hujus farinæ fanatici, qui excedendo peccant, *ἀποθεώσιν & χειροσίαν* somniando, quam vesaniam masculè exploferunt, B. *Balduin. c. d. thes. 89 & seq. Gerbard. disp. II. §. XXII. advers. Weig. Corrupt. B. Thumm. Impiet. Weig. Error. LXI. Brochm. Art. XXVII sect. V. D. Stegman. Episag. II. p. 701. seq.* ubi quatuor Argum. Weig: examinantur & refutantur. B. *Nicolaus Hunnius in consider. German. Theol. Paracels & Weig: Idem in Epit. Credend. art. XXIII. §. 592. & seq.* ubi quatuor adversus Weigel. adducit argumenta, verba Autolum paginarum, quæ præter spem excrescunt, angustia transcribere prohibet.

CII. 2. *Pontificii* & nominatim *Gregor. de Valentia Tom. IV. in Thom. disp. VI. q. 3. punct. 1.* qui in sola dependentiâ membrorum è capite quoad affectum & effectum formâ unionis nostræ locat, citra indistantim substantiarum Christi & fidelis, sed

mox sui oblitus propria cedit dumeta: *ceu notat D. D. Hulfem. Brev. cap. XIV. suppl. S. 1. Idem committit Hannibal Rosseli in Trism. Pym. lib. I. Comm. XVI. ubi intricatum & abstrusum modum his proponit: Migrat imaginatio in rationem, & ratio in intellectum discursione deposita, & argumentatio in intuitum, & intellectus in unitatem propriam, & propria illius unitas in primam unitatem, in qua coalescit, fitq; unus spiritus cum Deo; Sed adversus seipsum anima subministrat, quando paulò post hæc ex Dionysio Areopag. allegat: Est nobis divinorum eloquiorum lex illa perscripta, per quam eorum, quæ de Deo dicuntur veritatem asseremus, non in persvasoris humana sapientia rationibus, quam spiritus sanctus in Theologis suscitavit: quæ quidem ineffabilibus & incognitis ineffabiliter & incognitè copulamur, per unionem quandam potentiâ & actione nostrâ cum rationali, tum etiam intellectuati præstantiorem.*

CIII. 3. Calviniani, qui substantialem propinquitatem inficiantur, quorum quidam illud Eph. III. 17. malitiosè pervertunt, nec Christum essentiâ suâ in hac unione in terris adesse, sed per fidem in nobis habitare dicunt, de quo subterfugio disputat Ch. minicius lib. duab. II. Nat. c. XXX. & monstrat fidem non esse formam unionis, nec opponendam esse extremorum propinquitati, cum Paulus per fidem non formam sed medium habitationis denotet, deinde quod fides c. l. opponatur aperte visioni, & deniq; ut localis condicio ac modus sensibilis ab hac unione excludatur.

CIV. Neq; Calvinus & discipuli nobis satisfaciunt, quando formale hujus unionis in participatione seu donatione spiritus sancti collocant; si enim ob id unum cum Christo sumus, quod idem Spiritus Sanctus habitat in carne Christi in cœlis, & in nostris cordibus, propriè non sumus unum cum Christo; sed Christus nobiscum unus est in Spiritu Sancto, & qua ratione sumus caro de carne ejus, & os ex ossibus, si unius Spiritus participatio unionem intrinsecè & definitivè constituat? num spiritus carnem & ossa habet? Lubenter concedimus spiritum sanctum per immensitatem adesse posse; at immensitatem esse proximum fundamentum gratiosæ inhabitationis negamus, sed supra illud benevolam Dei voluntatem esse diximus. Nec boni hi viri, qui tam acriter nobiscum dimicant, vident, quod

quod dum Spiritum sanctum substantiâ suâ nobis adesse largiuntur, causâ cadant, Argumentum esto: *Qualis est presentia Spiritus S. in in habitatione, talis quoq; est Christi: Atqui non sola operatio; sed etiam substantialis Spiritus S. presentia est in in habitatione.* Ergo. Minorem nunquam inficiati sunt, connexionem majoris probamus, quia ceu habet Theorema B. Menzeri Tom. V. Giess. disp. VII. thes. 14. *Presentia gratiosa uno eodemq; modo in Scripturis definitur, siue de Deo, siue de Christo θεῶν ἁγίων predicetur: nos pauca allegamus, ubi scriptura easdē retinet phrasas Joh. XI V. 17. I. Cor. VI. 19. Spiritus S. dicitur Esse in nobis: idem dicitur de Christo; Rom. VIII, 10. II. Cor. XIII. 5. Sic Job. XIV. v. 16 & 17. I. Job. II. 27. manere dicitur Spiritus, quam phrasin de seipso & Patre usurpat Servator Job. XIV. 23. Sic. habitare in nobis dicitur Spir: S. I. Cor. III. 16. idem legimus de Christo Eph. III. 17. Iniqui ergo sunt Calviniani quod easdē phrasas non equè de Christi personâ ac de Spiritu sancto interpretantur per substantialem adessentiam & benignam operationem. Sed hæc sufficiant nobis argumenta eorum ipsi conflictui reservaturis.*

CV. Quando autem *Substantiarum συνδύασις* urgemus, omninò non excludimus *operationem*, s. influxum s. *κωνώνησις*, siue quo commodiore vocabulo uti velis; sed hanc cum illâ *definitivè* ut *essentialia requisita* in hac unione concurrere, & ex parte Christi *formale* ejusdem describere credimus, adeo ut partes hæ *simul* sumptæ nihil aliud sint, quàm *Unio Christi nobiscum*, servato tamen ordine sc: naturæ, ut *specialis Christi* quoad *substantiam approximatione* antecedit *operationem*, operatio autem intimæ *substantiæ propinquitati complementum* suum addat. B. Chemnit: lib. d. duab. Nat. in^o Christ. cap. 20. *Certum est, ait ex verbo DEI, quando Deus vel tota Trinitas, in credentibus & sanctis habitat, quod non otiosus aut per essentiam sine efficacità ipsis adsit, relinquens eos in meris naturalibus. Sed quod divinâ suâ ἐνεργείᾳ operatione & efficacitate in credentibus operetur & officia multa ac varia supernaturalia aut præternaturalia, coelestia & divina dona, que usitatè appellantur vel Qualitates, vel Habitus, vel virtutes, vel vulgò motus Spirituales. Huc spectat dictum August. tract. 76. in Job. Pater, Filius & Spiritus S. veniunt ad nos subveniendo; nos venimus ad eos obediendo; veniunt illuminando; venimus metuendo; veniunt implendo; venimus capiendo: &c.* CVI.

CVI. Nec impedit, quo minùs unio Spiritualis ex parte u-
nientis Christi substantiæ specialem *propinquitatem & operationem*
si collationem donorum suo *essentialem complexu* involvat, 1. quod
præsentia substantiæ *abstractè s. absolutè & præcisè* sumpta, quatenus
formaliter est duorum entium in uno ubi indistans cõexistentiã,
totogenere differat ab operatione, cum illa in *prædicamento rela-*
tionis; hæc *actionis* 2. nec de se invicem in *casu recto* prædicari
queant 3. quod separabilia imò *actu* sæpè separata sint, 4. quod
præsentia semper uno *eodemq;* se habeat modo, quia *unius rei una*
est existentia in ubi, operatio verò variatur & multiplicatur. 5.
quod illa competat toti composito *secundum omnes partes*, hæc sal-
tem *secundum aliquam duntaxat partem*. Resp. *Theologicè & sensu*
biblico præsentiam, quando de DEO vel Christo dicitur, nun-
quam nudam & *otiosam* ad essentiam denotare, sed simul include-
re operationem, non ut *consequens* præsentia divina, sed ut
partem quæ indivulsè cohæret propinquitati substantiæ s. essentia,
quæq; cum hac *quidditative* præsentiam definit; ita ut qui alte-
ram ab altera dirimit & separat, præsentiam destruit, neutra n.
seorsim sumpta integrat *formale* præsentia gratiosa & sic *totoge-*
nere differt à præsentia *philosophicè* accepta, nunquã *μερικῶς* in
scripturis accipitur pro solâ substantiæ propinquitate, sed semper
ὀλικῶς & συμπλεκτικῶς, & sic sumpta possum dicere: *Præsentia di-*
vina est actio, & quædam DEI actio est præsentia ejus, & quamvis ap-
proximatio substantiæ non sit operatio, nec hæc *formaliter* sit
illa, tamen gaudent communi genere *Actione sc:* nam unio
hæc nostra, quando pro completa actione Dei accipitur, & ipsa
approximatio est actio divina. Malè igitur sibi hæc duo oppo-
nuntur, & à positione unius ad negationem alterius proceditur,
cum non sint divellenda, quæ Spiritus Sanctus in verbo conjun-
git.

CVII si quis censoriam virgam nobis intentet, quod per
præsentiam gratiosam *formale* hujus unionis describamus, sciat
nos superius ingenuè fassos latere exquisitam & accuratam hujus
mysterij formam: deinde nos *formale* a digniore Extremo de-
scribere, per ejusdem præsentiam, quia *gratiosa hæc præsentia*
non sine quadam unione & participatione locum habere potest. ut lo-
quitur. B. Gerhard. Exeg. L. IV. S. 253. formalis vicè igitur tam
divi

diu sustinebit, donec plenior dabitur cognitio. Interim agnos-
cimus, discrimen inter ipsam unionem & praesentiam gratiosam
1. *praesentia* recte & orthodoxe etiam quoad *modum substantialis*
dicitur, *unio* non nisi ob *extrema*. 2. *unio* utrumque denominat ex-
tremum; *praesentia* saltem unum sc. Deum & Christum; praesen-
tia n. uti nos cum scriptura eam accipimus, & uti merito accipi
debet non recipitur. 3. *Unionis* terminus est *Unum*; *Praesentia*
non formaliter importat unitatem, sed saltem *relationem*, nam
quando Deus regenerat & justificat, gratiose quidem praesens
est; attamen non sequitur, Deus regenerans & homo regene-
ratus *qua talis* sunt unum, sicuti de inhabitatione procedit,
quod habitans & habitaculum sint *verè & proprie* unum; Prae-
sentia igitur gratiosa infert coexistentiam operantis Christi &
fidelis *in uno ubi*: at unio intimam unitorum conjunctionem
& immanentiam etiam *praeviso* ubi (saltem per praecisionem men-
tis) arguit.

CIIX. Effectus sunt varii, quos longa serie recenset *Gerhard.*
Harm. Evang. p. 552. & seq. inter reliquos notetur; *Dilectionem* qua
nos Christum amplectimur, *sensum Christi* I. Cor. II. 16 *eundem affectum*,
Philip. II. 5. inter effecta poni, ex quibus tandem oritur *promptus*
ad obediendum *animus*, *imitatio Christi*, *mortificatio carnis*, *am-*
bulatio in luce, & caeteratum virtutum studium. Praecipuum ve-
ro effectum unionis est ipsa *vita spiritualis*, qua Christus in no-
bis vivit, quam vitam male *Fratres Walenburchenses* immediatè
ad corpus Christi mysticum referunt, cum tamen non tam
membrum vivat quia corpori vivo, quam quia capiti vivo ad-
haeret. *vid. Job. Crocii tract. de Unit. & Schismate Ecclesiae in conclus.*

CIX. Finis est *certificatio fidelis* in calamitate constituti de
perpetua *assistencia*, *influentia*, & collatione virium ad toleran-
da adversa, superandas tentationes, ut & de favore & gratia
de exauditione precum *Job. XIV. 7.* de protectione & libera-
tione *Ps. XCI. 15. Esa. XLIII. 2.* de resurrectione & denique de æ-
terna salute I. *Job. V. vers. 11. Dulces consolationes Veterum ex hac*
unione manantes vid. apud Chem. L. d. duab. Nat. c. XXXI. Gerb. Harm.
Evang. P. III. pag. 605. 606. 607. ratione proximi est finis *Unio fide-*
lium inter se, qui n. capiti unitus, non potest non amare reliqua
membra corporis, eisque pro viribus suis succurrere. *Confer. D.*
Hulsem. c. XIV. §. 4. Brev.

CX.

CX Ex dictis patere existimo, quomodo unio nostra sit definienda: Nempe, quod sit *realis & arctissima Christi & S.S. Trinitatis cum fidelibus conjunctio*, à Deo ipso per Evangelii verbum, Sacramenta & Eadem ordinata & facta, quâ speciali essentia approximatione & gratiosa operatione in iisdem est, ita ut & fideles in eo sint, ut per mutuam & reciprocam immanentiam vivificæ facultatis & omnium beneficiorum ejus participes facti, certi sint de gratia Dei & salute suâ, unitatemq; in fide & charitate cum reliquis corporis mystici membris servent.

Hæc sūt in quibus ingenii vires experiri, meq; ipsum informare, & placidæ disquisitioni subicere volui pio cum voto:

Sint unum, doceant unum, fateantur & unum;
Unum qui Christi nomen habere volunt.
Unum sit studium vitæ, ducantur ab uno;
Inq; DEO sit mens una, sit unus amor
Unum sint tecum Christe, & cum fratribus unum;
Sint tecum; δόξαν conspiciantq; tuam.

F I N I S.

Corollaria.

- I. Num fidelis de hac unione suâ cum Christo possit esse certus? *Affirm. II. Cor. XIII. 5. Gal. II. 20. Rom. XI. 22. I. Job. III. 24. c. IV. 13. Bernhard. Serm LXXIV. in Cantic.*
- II. Num Unio spiritualis cum Christo ordine sequatur Adoptionem? *Aff. Gal. IV. 6. Quia Filii estis, misit Deus spiritum filii sui in corda vestra.*
- III. Num hæc unio spiritualis cum θεανθρώπω etiam obtinerit in statu Exinanitionis? *Affirm. Job VI 56. C. XV. Matth. XXVIII. versult. C. XV III. 20. Cons. Decis Saxon. p. 23. & Decis. Apologiam sect. III, c. VIII. p. 268.*



05 A 735

ULB Halle 3
003 766 977




LDM

ah







THEOLOGICA
EXERCITATIO

DE
U N I O N E

**SPIRITUALI CHRISTI
ET FIDELIUM**

Quam
DEO DUCE.

Sub Præsidio

Viri admodum Reverendi Amplissimi & Excellentissimi

DN. JOHANNIS MEISNERI,

S.S.Theol. D.&P.P. celeberrimi, Elect. Alum:Epho-

ri vigilantissimi, Præceptoris, Promoto-
ris & Fautoris sui suspiciendi.

In Auditorio majori ad d. 20. Decembr.

publicè examinandam

proponit

JOSUA Krüger/ Stetinensis.

WITTEBERGÆ.

Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.

ANNO M DC LI.

J. Balduin